habitantibus Cedar, ideſt, ipſiſſima lux in tenebras, quæ A ipſam non comprehenderunt a; quum maledicerentur, non maledicebat; quum pateretur, non comminabatur b, loquens quæ ad pacem erant c; deque pace, charitate, regno Dei; & odio tamen habitum ſe gratis, atque impugnatum merito conqueſtus eſt d; alludens ad hunc, & ſimilem alium locum e, dicendo impletum ſit ſermonem, qui in lege ſcriptus eſt. Proſequitur hanc allegoriam Bellarminus noſter, ſed ante ipſum Rickelius paullo fuſius; de Judæorum quoque declarans excidio, ſagittas, & carbones, una cum præclaro alio Eſaiæ f, loco. Chryſoſtomus g, item uſurpat hunc locum in ingratos adverſus beneficium Chriſtum Judæos. Quod ſi legamus ex Hebræo, ego pax, אני שלום ani ſcialom, optimè Chriſto congruet, quem, ut dixi, Apoſtolus affirmavit eſſe pacem noſtram, ſicut & cognominavit Deum pacis h, Poſſe etiam verti, ego pacem nempe ſectabar: vel ego paces, ſcilicet vir, & ſectator; quod eſt eſſe pacificum, pacem inquirere, & perſequi i, in pace habere locum k, non in Cedar, ubi tenebræ, nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat l. Proſper m, pronuntiat iſtam ſententiam, quod Chriſtiana profectio eſt pacificum eſſe, etiam cum inimicis, ſpe correctionis, non conſenſu malignitatis: ut ſi nec exemplum, nec cohortationem ſequuntur, cauſas tamen non habeant, propter quas odiſſe non debeant. Omnino verum eſt, quod his Ambroſius n, ex verbis elicit, quod quanto magis quis Deo ſervire deſiderat, tanto magis in ſe excitat adverſarios, & tamquam athleta fortis coronam juſtitiæ reportare deſiderans, irritat in ſe plurimos, & laceſſit, qui invident noſtro profectui: nihil tranquillitatem juſti ſæpe proficere, ut eos, qui pacem oderunt, componat eorumque ſtudia comprimat. Idcirco fugientem oportet diligenter, ac ſtrenue perſequi pacem, ac omni ſtudio inſequi, ut Hieron. o, docet, & pacem detrectantes, eique reſiſtentes, fortiter pertrahere; carbones etiam congerendo in capita illorum p: Ignatius Romanus ex itinere ſcribens, dicebat ligatum ſe nocte, dieque cum decem leopardis; ideſt, militibus, qui eum cuſtodiebant; quibus & quum benefieret, pejores fierent. Diceres ſenſu accommodatitio, cum leonibus luſiſſe, quaſi cum agnis q. Hieronymus r, de pacis fructu inter alios, qui Spiritus Sanctus numerantur ab Apoſtolo ſ, diſputans, admonet minime putandum, pacem in eo tantum eſſe quærendam, ſi cum alio non jurgemur; ſed tunc pacem Chriſti, hoc eſt, hæreditatem noſtram, nobiſcum eſſe, ſi tranquilla mens nullis paſſionibus perturbetur: hoc denotat proxime ſequens apud eumdem Paulum longanimitatis, poſt pacem, fructus admonet præterea etiam Gregorius t, pacatos, ne, ſi ad increpationis verba proſiliant, temporalem pacem ſibi perturbari formident: rurſum, ut eamdem pacem dilectione integra intrinſecus teneant, quam per invectionem vocis ſibi extrinſecus turbant: utrumque provide ſe ſervaſſe Davidem hic perhibere & membro ſequenti; quia loquens impugnabatur, ſed tamen impugnatus, erat pacificus; nec inſanientes ceſſans reprehendere; nec reprehenſos negligens: amare Paulum proinde præcepiſſe, ut ſi fieri poſſit, quod ex nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habeamus, difficile quippe eſſe, ut ſi quis male acta corripiat, habere pacem cum omnibus poſſit; ſed tamen curandum, ut ſi ab eis, qui corripiuntur, pax expellitur, integra in iis, qui corripiant, mente teneatur. Affine, quod Arnoldus Abbas Bonæ vallis u, de hac eodem ſententia ſcribit, in tantum eſſe pacificam charitatem Chriſtianam, ut nec læſa exigat ultionem, nec exacerbata referat contumeliam: & ſi corrigat, omnino ſollicitè agat, ut plus agat benevolentia, quam ſeveritas; cohortatio, quam commotio; humilitas, quam poteſtas. Bernard. x, quum ſponſa nigram ſe confitens, ut tabernacula Cedar aſſerit formoſam, ſicut pelles Salomonis y, benigne filias Jeruſalem nominat illas, quæ nigredinem improperaverant; quum potius Babylonis vocare potuiſſet, vel Baal, ait, quod hoc eſt cum his, qui oderunt pacem, pacifice agere: infirmarum potius operam dare ſaluti, quam propriæ ultioni, parare adverſus phreneſin animæ non vindictam, ſed medicinam; calamum quaſſatum non conterere; linumq; fumigans non extinguere z, linguam habere placabilem, ut lignum vitæ a; & lingua molli confringere duritiem b. Ex eodem Bernardo c, jam longe ante retuli hoc eſſe ſicut lilium inter ſpinas d, quod pungentes ſe candore proprio illuſtrare, atque venuſtare non ceſſat. Profecto, ut cecinit ille e.

a Joan. 1. 5. b 1. Pet. 2. 23. c Luc. 19. 42. d Joa. 15. 23. e Pſ. 34. 19. Pſ. 68. 5. Allegoria. f cap. 42. 22. uſque ad finem. g hom. quod Chriſtus ſit Deus. h Rom. 15. 33. c. 15. 20. 1. Cor. 14. 33. 2. Epiſt. 13. 3. Philip. 4. 9. 1. Theſ. 5. 23. 2. Epiſt. 3. 16. Hebr. 13. 20. i Pſ. 33. 15. Chriſtiana perfectio eſt pacificum eſſe. k Pſ. 75. 3. l Job. 30. 22. m hic & lib. ſent. in 25. n in Pſ. 118. octon. 9. Quanto quis magis Deo ſervire deſiderat, tanto magis in ſe excitat adverſarios. o Epiſt. 4. p Pro. 25. 22. Rom. 12. 20. Senſus accommodatitius. q Eccleſiaſtici 47. 3. r in Epi. ad Galat. cap. 5. ſ Gala. 5. 22. t 3. p. paſtor. cap. 23. u tract. de ſeptem verbis Domini in Cruce. x ſerm. 25. in Cant. y Cant. 1. 4. z Eſa. 42. 3. Matt. 12. 20. a Prov. 15. 4. b cap. 25. 15. c ſer. 48. in Cant. d Cant. 2. 2. e Senec. in Oedip.

Odium qui nimium timet, regnare neſcit,

Chryſoſtomus f, habitare in tabernaculis Cedar, ait eſſe idem quod in medio umbræ mortis g, & filiis tenebrarum, & falſis fratribus; ita ut cum Apoſtolo h, ſi maledicimur, benedicamus; ſi perſequutionem patimur, non comminemur. Origenes i, affirmat, quia Chriſtus pax eſt, oportere unumquemque juxta præſentem ſententiam habere cum hominibus omnibus pacem, bellandi cupidum non eſſe, nullum mordere, incuſare, devorare, perturbationibus plenum non eſſe, cauſſam ſeditionis in ſuo ipſius principatu, hoc eſt, in animæ principe parte, non exiſtere. Pacianus k, hinc elicuit argumentum contra Novatianos, de recipiendis, & admittendis lapſis, paceque danda, & communicanda his etiam, qui aliquando illam odio habuerunt. Nihil quoque vetat ſecundùm tropologiam dicere, ſponſam, quæ nigra eſt, ſicut tabernacula Cedar, quia verſatur cum tenebris improborum, & in ſeipſa pugnam B paſſionum ſentit, ſimul formoſam eſſe, quoniam pacem ſtudet habere cum hominibus qui oderunt illam, & cum paſſionibus, quæ eamdem perturbant, ita ut quum loquitur illis, imperans ne commoveantur, ſed homines pacem complectantur, paſſiones rationi acquieſcant, ſi pergant nihilominus impugnare; id faciant gratis, hoc eſt, abſque internæ pacis jactura, ſine damno formæ, pulchritudinis pacis l. Diſtinguit Grevæus m, pacificos cum pacificis, perverſos: pacificos cum non pacificis, perfectos. His ultimis aptat quod magi Pharaonis percuſſo pulvere terræ, non potuerunt inde ſciniphes excitare n, quoniam humiles reprehenſi non prorumpunt in verba detractionis; aut impatientiæ. Theophylactus o, triplex bellum ait eſſe contra barbaros, alioſque hoſtes, ex privata inimicitia, inteſtinum à vitii, ipſis: primum ſedati imperatorum induſtria, precibus interim, & votis operam nobis præſtantibus: reliqua duo per nos, ac noſtris viribus, ſtudioque ideſt, patientia: & pace, quæ hoc loco commendatur, atque oratione, de qua in Pſalmo p, detrahebant mihi, ego autem orabam. C

Quum loquebar illis, impugnabant me gratis.) Hieron. & quum loquebar, illi ad bellum, ſed apud Auguſtinum in ſpeculo, ubi ſequi ſolet Hieronymi translationem, ego pacifica loquebar, & illi debellabant ea. Chaldæus, ego pacem proinde orabo, ipſi vero bellum, nempe, cupiunt; vel: ego eram pax, quando orabam, & ipſi ad bellum, ſcilicet, ſpectabant, id apparabant, & inferre conabantur. Additum eſt, gratis, & Græcè δωρεάν. Recte ſane, Nam paci ſtudentem, & de pace ſerio, ac ſedulo tractantem & odia, injuriaſque non reddentem, ſed pacifico ſermone, atque opere compenſantem impugnare, & bellum indicere, ac inferre, & ad bellum obfirmato ſe animo applicare: quid eſt niſi gratis, abſque cauſſa, immerito, injuſtè agere? Quamquam & illud forſitan innuitur eadem particula, tam fuiſſe conſtantem Prophetam; eumve, cujus in perſona loquitur, in retinenda pace, ut quantumvis repugnarent adverſarii, odiiſque ipſum inſectarentur, omnia fruſtra eſſent, nec de honeſto illo propoſito vel tantillum D dimovere poſſent. Utramque vim eadem particula idiomate utroque poſita in aliis Pſalmis, & Hebraicè חנם chinnam, habet, quum David canit abſconſos ſibi laqueos gratia q, vel odio habitum r, vel expugnatum ſ, vel perſecutionem paſſum t: & idem valet, quod ait de adverſantibus ſibi ſine cauſſa u, ματαίως, & juxta lectionem Hebræam, quæ creditur olim ibi fuiſſe חנם chinnam. Tractat hunc locum Ambroſius x, de martyribus, cum illo ſimili ex Pſalmo præcedente y, principes perſecuti ſunt me gratis, dicens quum loquerentur juſte, auditos non fuiſſe, quum plena ſalutis, impugnatos ſine crimine, ut noxios, veneficos, impios. Hinc præterea z, dicit appellari multiplicatam iniquitatem ſuperborum a, quum hi cauſſas impugnandi non habent, tamen impugnandi ſtudium non deponunt. Arnobius hunc locum transfert ad impugnationes dæmonum adverſus peccatorem, quum primum ad pœnitentiam convolare cœperit, & à fovea mortis ad vitæ ſupernæ montem conſcendere: idcirco Dominum docuiſſe nos petere, ut non inducamur in tentationem, ſed liberemur à malo b, ſcilicet à diabolo, ut quidam exponunt. Quomodo autem hic nos gratis impugnare dicatur, alio loco docui.

f in Pſ. 22. g Pſ. 22. 4. h 1. Cor. 4. 12. i tom. 26. in Joan. k Ep. 3. contr. Novat. l Eſa. 32. 18. m ſerm. 27. Diſtinctio Grevei pacificorum. n Exod. 8. 16. o in Tim. 2. Contra hoſtes & barbaros triplex bellũ. p Pſ. 101. 4. q Pſ. 34. 7. r ibid. verſ. 19. Pſ. 68. v. 5. ſ Pſ. 108. 3. t Pſ. 118. 161. u Pſ. 3. 8. x in Pſ. 1. 8. octon. 21. y verſ. 161. z ibi. Oct. 9. a Pſ. 118. 69. b Mat. 6. 13.

PSALMUS

CENTESIMUS VIGESIMUS.

Canticum graduum.

1. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

2. Auxilium meum à Domino, qui fecit cęlum & terram.

3. Non det in commotionem pedem tuum: neque dormiet qui cuſtodit te.

4. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.

5. Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam.

6. Per diem Sol non uret te: neque Luna per noctem.

7. Dominus cuſtodit te ab omni malo; cuſtodiat animam tuam Dominus.

8. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum; ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Titulus & Argumentum.

Canticum graduum.

Ratio tituli.

NON erit deinceps uſque ad 134. pſalmum de titulis laborandum, quia omnibus idem ineſt, qui præcedenti, ut ibi vidimus, aſſignantes quoque ordinis rationem inter illos, quidque quindecim gradus ſibi velint & litteraliter, & myſticè.

Qnia porro Hebraicè hic eſt למעלות le mahbaloth, & non, ut in præcedenti pſalmo, atque in ſequentibus המעלות hammahbaloth, nempe cum littera ſervili, quæ ſervit dativo, ita ut dicendum ſit Canticum gradus, non ut in aliis, Canticum graduum; Cajetanus id obſervans, ait ſe reſervare Spiritui ſancto. Nec ipſe ſcio, cur potius in hujus pſalmi titulo poſita ſit littera ל lamed, quam ה he, quæ eſt in aliis. Sed quum ſerviat quoque ל lamed, caſui genitivo, ut oſtendimus circa titulos, in quibus habetur לדוד le david, & perinde eſſe Davidis, & ipſi David, & perinde eſſe Davidis, & ipſi David. τοῦ Δαυίδ & τῷ Δαυίδ; vertat vero etiam Hieronymus, & alii ex Hebræo hoc loco, Canticum graduum, ſicut in ceteris pſalmis; nulla ſubeſt ratio, cur Spiritui ſancto rem reſervemus, quæ nihil continet difficultatis. Argumentum pſalmi videtur exulis, aut peregrini conſolatio, revertentis, & aſcendentis in Jeruſalem, qui de ſua in priore pſalmo captivitate, exiliove conquerebatur. Dum autem eſt in ipſa via, inque mediis montibus conſtitutus, & montes patrios conſpicatur; optat ſibi divinum auxilium: & perinde ac ſi ſe inde ex patriis montibus, ubi Deus colebatur peculiariter, audiret exauditum, oraculum divinum recitat de cuſtodiendo introitu, & exitu, hoc eſt, de itinere toto ad finem uſque feliciter perficiendo. Duos Auctores Græcos recitat Agellius, quos arbitratur Euſebium, & Anaſtaſium, aut certe Chryſoſtomum, ut fere de hoc argumento tradentes. Vix deſſident alii Græci, & Latini. Quamvis qui Chryſoſtomo nunc tribuitur editus commentarius non habeat, quæ refert Agellius, & Latini myſticè, ut ferè in cæteris pſalmis graduum, agi velint aut de quovis juſto, aut de perſecutionibus Eccleſiæ, tum vero ſub Mahometanis, ſive Turcis. Refert Hilarius opinionem, nec rejicit de Chriſto, propter illum verſum a, Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem, quia in paſſione Sole obſcurato, nox interceſſit. Athanaſius b, ait eſſe τῶν εὐχαριστικῶν ψαλμῶν unum, ideſt ex iis, in quibus gratiæ agantur.

Argumentum.

a verſ. 6. b ad Marcellinum.

A *Verſ. 1.) Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

IN ipſo exilii loco levabat exul oculos in mõtes, in quibus ſita erat Jeruſalem, & arca, undeque peti auxiliũ ſolebat, quemadmodũ Daniel verſus eamdem civitatem in Babylone captivus orabat c, vel certe jam in ipſomet itinere, quos ex captivitate jam liberatus tendebat: utroque modo ita ſeipſum recreans, quod eſt familiare peregrinantibus, ut itineris laborem hac ratione ſublevent. Litteraliter quoque per montes Chryſoſtomus, Euthymius, Nycephorus cęlos intelligunt, ad quos captivi otãtes levarent oculos ſuos. Myſticè, levare oculos ad montes eſt quæ ſurſum ſunt quærere & ſapere, & non quæ ſuper terram d, nec oculos ſtatuere declinare in illam e, ut Arnobio placet; aut ſicut Auguſtino, & aliis, ad Apoſtolos, alioſq; Sanctos, quos illuminat Deus f, tamquam Sol, & prius & magis g: aut quod eodem recidit, & Bruno poſt Hilarium & alios, ponit, ad ſcripturas Prophetarum & Apoſtolorum. Inde nobis auxilium ſive ſuffragii, ſive exempli, ſive ob contemplationem beatitudinis Sanctorum: præterea, B propter eam multorum præceptorum, conſiliorum, promiſſorum, minarum, quæ continentur in ſcriptura, conſiderationem. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus; h, & omnis ſcriptura divinitus revelata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in juſtitia, ut pefectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus i. Magna ſunt iſta auxilia. Addit Hilarius angelica miniſteria, & cœlorum virtutes, & poteſtates, quarum miniſterio nobis in ſublimia præſtatur aſcenſus: quum enim ſecundùm Danielem k, Dominus ipſe mons magnus ſit, non ambigendum eſſe, montes eos nuncupari, qui præcepti ejus, & voluntatis, & communicandæ in nos voluntatis ſunt miniſtri: horum Prophetam intra ſe monita, officia dona contemplari, ſciendo inde venturum ſibi auxilium. Origenes l, ita etiam locum iſtum, & pſalmi 86. verba de fundamentis in montibus Sion, interpretatur eſſe Scripturas divinas, quia auxilium in tribulationibus ex illarum ſenſibus capimus, præterea novum Teſtamentum. Valentia addit Sacramenta. Nam conſi- C derat hoc ultimo modo montes, ut herboſos: aliis, ut ex iis deſſluunt aquæ, & ut propter altitudinem proſunt ad refugium. Caſſiodorus omnia complexus eſt, Sanctos, Angelos, Scripturas. Arnobius huc profert ſacerdotalem vocem, quæ ad percipienda myſteria nobis omnibus clamat, ſurſum cor, quod plurali numero dicitur in Canone Miſſæ; ſurſum corda. Memini agere me de hac ipſa re alibi, quodque ſublatis viri ſancti alte in cęlum oculis cõtemplationis, orationiſque operam libenter dederint. Videtur Bernardus m, attribuere Chriſto hunc ſermonem: ita ſcribens; Quis ſine lacrymis lacrymas ipſius Chriſti de limo profundi etiam nunc levantis oculos ſuos in montes, unde veniat auxilium ſibi, reſpiciat, ſed intelligit de membris Chriſti calamitatem hic patientibus. Subdit enim Simoni Abbati, cui ſcribit: Verumtamen nos, ad quos pro humilitate tua, reſpicere te dicis, montes non ſumus: ſed & ipſi de convalle lacrymarum laborioſis conatibus enitentes adverſus renitentis inimici inſidias, & mundialis malitiæ violentiam tecum clamamus, auxilium noſtrum à Domino, qui fecit cęlum & terram; Hugo, D rejecta montium acceptione, pro ſuperbis dæmonibus, hominibuſque qui nec orandi ſunt, nec imitandi, nec in auxilium invocandi, ſed væ illis eſt, qui confidunt in illis. Sicut in monte Samariæ n, docet ad montes ſanctos, tum Angelos, tum homines, poſt Chriſtum, qui eſt in vertice montium o, levandos nobis eſſe oculos octo de cauſſis, ut viſa eorum rectitudine, noſtram pravitatem cognoſcamus: viſa ſanctitate confundamur, & erubeſcamus: acuamur ad pugnam, & patientiam; legamus in eis quid agere, aut qualiter vivere debeamus: bonum concipiamus ex aſpectu eorum, vel ut oves myſticæ ad aſpectum virgarum p: illorum gloriam admiremur, atque deſideremus: Deo gratias agamus: inde auxilium recipiamus. Præterea docet cõvenire Sãctis ut mõtes appellentur, propter eminentiam vitæ: propter conſtantiam patientiæ: quia prius radios recipiunt Solis, quia ab eis nos, & lux ad valles deſcendit. De invocatione Sanctorum locum præſentem non hic tantum, ſed alibi q, etiam exponit Auguſtinus. His alibi ſimilia non ſemel diximus. Antoninus r, invocationem Sanctorum hic agnoſcens, obſervat in elevatione oculorum ſpeculationem circa illorum laudes, & pium affectum, deſideriumve illos imitandi: in pluri-

Senſus loci. c Dan. 6. 10. Levare oculos ad montes, quid myſticè deſignet. d Col. 3. 2. e pſ. 16. 11. f pſ. 25. 5. g idem Aug. in pſ. 35. 2. h Rom. 15. 4. i 2. Tim. 3. 16. 17. k cap. 2. 35. l hom. 3. in Cant. m epiſt. 83. n Amos 6. 1. o Eſa. 2. 2. Levandi oculos octo cauſſæ. p Gen. 31. 39. q tract. 1. in Joan. & lib. de paſt. c. 8. r 1. p. c. 3. c. 7. § 3.

bus montibus, ut non unum, ſed multos invocemus, quia per quoſdam placet Deo peculiaria beneficia concedere: in ultimis verbis magnam fiduciam impetrandi, quum Sancti noſtras preces cognoſcant, nos diligant, juvare nos poſint. Paullo durior expoſitio Franciſci Georgii *a*, idem eſſe *oculos levare ad montes*, quod ad Deum ipſum, à quo hic etiam dicitur eſſe auxilium, quoniam Deo ipſi conveniat montium plurium nomen, ut Sion, quia cuncta ſpeculatur: Olivarum, & pinguis, quia omnia donat: Moriah, quia ſeſe in Filio ſuo demonſtrat, & omniū orationes, atque ſacrificia ſuſcipit: idcirco placuiſſe Davidi peculiariter montem Sion, quia quum ſit unus, plures contiguos habet, & plures dici poſſunt in eodem eſſe. Nec tamen abhorret ab hoc ſenſu, quod citatus modo Antonius ait, poſſe hic per *montes* intelligi divinas perſonas, ſuper quibus, inquit, fundamenta ſupernæ civitatis ſunt ſit. Obſervata Grevet. *b*, oculos levandos non eſſe, vel corda, ſine manibus: licet quandoque oculis dejectis aliqui cum Publicano manus levent, ideſt, bonis vacent operibus, abſque contemplatione. Item prius levādos oculos ad montes, qui ſunt inter nos cœlumque medii, quam ad cęlum & Deum, ut acies veluti temperetur, & aſſueſcat prius alia videre, quam Solem & ipſum Deum. Quæ præterea interceſſio, naturæ creatæ inter mortales & Deum, applicari poteſt ad illam, quæ fit Sanctorum precibus, de qua dixi. *Voca*, inquit Job *c*, *ſi eſt, qui reſpondeat tibi, & ad aliquem Sanctorum invertere.* Ayguanus autem exempli cauſſa hortatur, ut captivus levet oculos ad captivum, Tobiam; ut rebus & liberis orbatus, ad Job; ut injuſtè accuſatus, ad Suſannam: ut vita corporali privatus, ad Laurentium, alioſque Martyres; nimirum, ut inde imitationis petantur exempla.

a problem. ſcript. to. 3. ſect. 8. n° 379 — *b ſerm. 275.* — *c cap. 5. 1.*

Levavi oculos meos.) Hieronymus, aliique ex Hebræo futuri temporis verbo אשא *eſſa*, *levabo*. Quo tempore ſolent Hebræi exprimere, id quod faciunt, fecerunt, facere ſolent, & impoſterū facere volūt, & decet ut faciāt.

In montes.) Hieronymus, *ad montes*. Alii, *ſuper montes*, nempe conſtitutus, & circumſpiciens, atque circumluſtrans, ſic unde advenerit auxilium mihi. Prępoſitio אל *el* id poteſt ſignificare: ſed & Latina *in*: ut quum quis dormire dicitur in utramque aurem, latuſque. Præpoſitionem *ad* habet Pſalterium quoque Romanum, Proſper, Arnobius, Caſſiodorus. *Montis* nomen ſingulare videtur legiſſe Auctor Hebræus in Bereſeit Rabba *d*: ſic enim citat. *Levabo oculos meos ad montes, unde veniet adjutor meus:* quod exponit de Chriſto, qui mons hic appellatur, ſicut & alibi. Refert idem etiam Galatinus *e*. Singulari quoque numero montem habet Illyricum Pſalterium, & poſſet exponi de Sion. Apud Auguſtinum, & in vetere Pſalterio legitur, *Levent oculos ſuos in montem, unde veniet auxilium illis*. Quam lectionem neſcio unde acceperint, quum nec in Hebręo hoc in Gręco ullo codice reperiatur. Idem tamen Auguſtinus alibi *f*, utitur noſtra editione.

d in Geneſ. ſect. 8. — *e l. 5. c. 28.* — *f tract. 1. in Joan. & l. de paſtor. cap. 8.*

Unde veniet auxilium mihi.) modo dixi aliquos legere, *illis*, ſed abſque cauſſa; quum etiam ſequens verſus habeat primā perſonā ſingularē, & & ceteri deinceps ejuſdē numeri ſecundam. Verterunt præterea nonnulli, ut monui, *adjutorem* pro *auxilio*, quaſi legerint עוזר *hhozer* participium, non עזר *hhezer* nomen. Eſt vero מאין *meain*, quod redditur *unde*, adverbium loci interrogativum. Ac ſi diceretur, *levavi oculos meos in montes*, ſive ad illos aſpiciens, ſive in eorum vertice poſitus, circumquaque luſtrans: & nimirum apud me dicens, & quærens. *unde veniet auxilium mihi?* quo ex loco adveniet mihi? quis locus, à quo id expectare poſſim? Quod ſi eadem particula ſumatur pro negatione, ut ve valet idem, quod *nihil*, exponi poſſet: *levavi oculos meos in montes; at fruſtra, quia nullum inde auxilium mihi*: vel, *ſi levaſſem illuc oculos, ſciebam nullum auxilium inde affuturum mihi*; ſcilicet ſi morem eſſem ſequutus idololatrarum, qui montes & excelſa petebant, ut ibi ſacrificarent, & aliquid impetrarent. Idcirco ad ſolum Deum verum recurri pro auxilio, Deum, inquam, qui fecit cęlum & terram, ſoluſque præbere id mihi valet. Denique idem eſt, ac ſi dixiſſet, quod alio dixit pſ. *g*, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis h*. Alio qui conſtat delectatos pios viros montibus, ut in iis liberius vacarent rebus divinis, Chriſtumque ipſum eadem de cauſſa illos frequentaſſe. Forſitan hic etiam alludatur ad Loth, qui *in monte ſalvatus eſt i*. Sed & quatenus accipiuntur *montes* pro templo conſtructo in monte, vel arca ibidem conſtituta, vidimus pſ. 19. *k*, *mitti auxilium de Sancto, & de Sion; & Deum exaudire de templo ſancto ſuo l*, ut autem pro cœlo in 17. *x de cœlo S. ſuo* De myſtica montium notione dictum prius hìc, alibique. Pro Sanctis accipit Auguſtinus quadam epiſtola *m*, & in Evangelium Joannis *n*, ubi hunc ait unum eſſe de mentibus iſtis, quemadmodum ibidem, & in hujus pſalmi commentario idem aſſirmat de Baptiſta, ſimulque de divinis Scripturis, quæ ſunt nobis per homines miniſtratæ.

g pſ. 122. 1. — *h Gen. 19. 50.* — *i verſ. 3.* — *k verſ. 7.* — *l verſ. 7.* — Montium notio myſtica. — *m epiſt. 120. cap. 30.* — *n tract. p.*

Verſ. 2.) Auxilium meum à Domino, qui fecit cęlum, & terram.

UBi, undeque auxilium quæreret, ſublatis in montes oculis, aut oculis ex edito loco circumſpectans, quis auxiliaretur, declarat, videlicet ab omnipotente cęli ac terræ conditore id expetiiſſe ſe, ac expectaſſe, cui deeſſe, *ſi velit*, *poſſe*, non poſſit *o*, & ſine quo *vana ſalus hominis p*, inane quodvis auxilium, & adjutorium: *ſurgere, & in neceſſitate protegere q*, dii alieni non valeant, utpote *dæmonia r*, vel *argentum, & aurum ſ*, aut quid aliud inanimatum. *Reſpiciens eram ad adjutorium hominum* ait quidem *t*, *& non erat; memoratus ſum miſericordiæ tuæ, Domine, & operationes tuæ, quæ à ſæculo ſunt.* Nec propterea tamen humana ſpernenda præſidia, multo autem minus Sanctorum, de quibus ante diximus, ex mente Patrum, auxilia, ſuffragia, ut perperam hagiomachi ratiocinari ſolent. Admonet præſertim Auguſtinus *u*, non eſſe præſumendum de iſtis montibus, ideſt, ſpem non in illis totā collocandam: quia ipſi montes non a ſe lucent, ſed ab illo lucent, qui eſt *lux vera illuminans omnem hominem x*, & *de cujus plenitudine nos omnes accepimus y*; quę tamen verba non Joan. Baptiſtæ ſunt, ut ipſe dicere videtur *z*, ſed Evangeliſtæ. *Suſcipiunt montes hi pacem populo a*, ſed non poteſt eſſe in pace, inquit adhuc idem *b*, qui ſpem ponit in homine. Unde ſubdit. Nolite ſic erigere oculos in montem, ut putetis in homine ſpem veſtram eſſe collocandam: & ſic dicite, *levavi oculos meos in montes; unde veniet auxilium mihi*, ut ſtatim ſubjungatis, *auxilium meum à Domino, qui fecit cęlum, & terram.* Ergo levemus oculos in montes unde veniet auxilium nobis; & tamen non ipſi montes ſunt, in quibus ſpes noſtra ponenda eſt: accipiunt enim montes, quod nobis monſtrent. Ergo unde & montes accipiunt, ibi ſpes noſtra ponenda eſt. Confirmat *c*, ex Paulo *d*, vetante ſchiſmata; quia nec ipſe pro Corinthiis crucifixus eſſet, alius, nec quiſquam baptizatus in ullius hominis nomine: & ex Angelo, qui ſe prohibuit à Joanne adorare *e*. Non ſolum tunc tibi, ait, non ſuccenſebunt montes: ſed tunc amabunt, tunc magis favebunt, ſi in ipſis ſpem tuam poſueris, contriſtabuntur. Notanda hęc pro Sanctorum invocatione contra hæreticos. Atque idipſum hoc loco annotante ceteri fere tractatores, poſt Auguſtinum Deus ipſe dixit, quod *perditio noſtra eſt, tantum in ipſo auxilium noſtrum f*; nihilominus Apoſtolus *g*, aſſerit & *homines eſſe adjutores Dei*: *g* ſed ita, ut præcipuus hic ſit, *qui incrementum dat, non plantat* ſolū, *vel rigat h*. Valet eadem ſententia, ſimiliſque illi ex pſal. 125. *i*, *adjutoriū noſtrum in nomine Domini, qui fecit cęlum, & terram*, pro doctrina de neceſſitate gratiæ, atque auxiliorum illius. Sed non ſatis intelligo, neque quomodo verum ſit, neque quo pacto rectè aliqui *k*, probent ex hoc loco, gratiam, quæ pure prævenit nos, ac primo, non eſſe formaliter actum noſtrum vitalem, ſed tantum cauſſaliter, & fieri in nobis à Deo omnino ſine nobis, ſed ita ut nō faciamus, ſed ſolus Deus, non, inquam, nos, ne quidem, ut ſpectatur actus, ut prodiēs ab intellectu, aut volūtate noſtra ſine libertate. Profectò nō videtur percipi poſſe alius in intellectu motus divinus, qui non ſit intellectio, aut in voluntate, qui non ſit volitio; iſtos autem actus impoſſibile eſt in potentis ineſſe, non vitaliter ece operātibus. Nec vero ſi hoc eſſet, dici hìc debuiſſet, ut iidem illi argumentantur, *auxilium meum à Domino, & à meipſo*. A Domino dicitur abſolute eſſe, in genere gratiæ, ac in ordine ſupernaturali. Et ſententia hæc auxilio cuilibet convenit, non tantum illi, quod primo prævenit: atque de omni auxilio, quum quo operamur, vel indeliberate affirmare quivis poteſt cum Apoſtolo *l*, *non ego, ſed gratia Dei mecum*. Videtur Angelicus Doctor *m*, de Chriſto auxiliatore peculiariter hunc locum intellexiſſe, atque Davidem, oculos in montes levando, illum exoptaſſe: docuiſſe enim, ut Filius Dei carnē aſſumeret infirmitatibus humanis ſubjacentem, ut in ea poſſet pati, & tentari; & ſic auxilium nobis ferre, & ut *in eo. in quo paſſus eſſet; & tentatus, potens eſſet & iis, qui tentarentur, auxiliare n*. In hoc *oculi noſtri*

Senſus loci. — *o Sap. 12. 18* — *p pſ. 59. 13.* — *q Deu. 12. 38* — *r pſ. 95. 5.* — *ſ Pſ. 113. 4. ſecund. Heb.* — *t Eccleſiaſtici c. 51. 10 11.* — *u hic, & tr. 1. in Joan. & l. de paſt. cap. 8.* — *x Joan. 1. 9.* — *y ib. v. 16.* — *z hoc loco.* — *a pſ. 71. 3.* — *b tract. 1. in Joan.* — Notanda contra hæreticos pro invocatione Sanctorum. — *c lib. de paſtor. c. 8.* — *d Cor. 1. 10.* — *e Apoc. 19. 10 cap. 22. 9.* — *f Oſea. 13. 9* — *g Cor. 3. 9.* — *h verſ. 7.* — *i verſ. 8.* — *k Didacus Alvarez. 8. de auxiliis, diſput. 74. 5 num. 9.* — Non poteſt ex hoc loco probari gratiam prævenientem iſtis non eſſe formaliter actum noſtrum vitalem, ſed cauſſaliter tantum. — *l 1. Cor. 25. 10.* — *m 3. p. q. 14 a. 1. in ſed contra.* — *n Hebr. 2. 18*

noſtri capite, ſi ſapimus, debent eſſe *a*: ad hunc *faciem* oportet *convertere*; ad hunc *oculos dirigere*, *b*, ſicut ad Solem heliotropios convertitur ipſo naturæ impulſu. Sic fecit Deus cœlum, & terram, poteſt etiam, inquit Chryſoſtomus, in aliena regione opem ferre, & ubique, etiam in Barbaria, manum adjutricem præbere, & qui è patria expulſi ſunt, conſervare. Hoc auxilium eſt invictum, inexpugnabile: expeditum, facile, domi manens poteſt id ad ſe quiſque attrahere, oculos in Deum erigendo, quos ille homini uni in alto locavit, ut cœleſtia conſideraret. Hoc etiam notat, perpendens prima verba pſalmi, Hieronymus *c*, nec non *d*, pſalmi 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* dicens hoc licuiſſe dicere mulieri, quā à ſatana decem & octo annis incurvatam Dominus ad ſtatum priſtinum erexit *e*: cavendumque ne quis idem obediat ſatanæ, dicenti *f*, *incurvare, ut tranſeamus*. Videlicet quiſque proprio delinquit arbitrio. Sed tentatori non reſiſtitur, niſi per auxilium Domini. Non fuit Sixti Quinti Papæ ſymbolum, nec id Ciacconus dicit, verſus iſte, ut quidam *g*, ſcribit, ſed, *De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.*

a Eccleſiaſt. 3. 14. — *b Teb. 3. 14.* — *c in Eſa. c. 22* — *d in c. 51.* — *e Luc. 13. 11 12. 13.* — *f Eſa. 51. 23* — *g Bocchius hoc loco.*

Auxilium meum à Domino.) Chaldaicè. *a conſpectu Domini*, quaſi quem oculis quos levaverat in montes ad ipſam, conſequutus ſit, & benignum illius ad ſe conſpectum attraxerit. Hebraicè, מעם יהוה *mehhim Jehovah*, ideſt, ut ita dicam, *à cum Jehovah*, quod eſt maximè proprium nomen Dei: & duplex illa præpoſitio videtur innuere tùm peculiarem providentiam Dei, curamque, tùm eximiam quamdam adhæſionem cum ipſo, illius, qui ejus experitur auxilium.

Qui fecit cœlum, & terram.) Sic in fine pſalmi 123. in ſimili ſententia ut ante dixi, & alias frequenter: præſertim, ut deſignetur Deus verus, atque diſtinguatur à diis Gentium vanis, & infirmis. *Quia ego cognovi*, ait David pſalmo 134. *h*, *quod magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus diis; omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & omnibus abyſſis*. Confirmans autem unumquemque in ſpe adjutorii divini, canit in 155. *i Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus ſpes ejus in Domino Deo ipſius: qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt*. Denique, ut ante retuli *k*. *dii Gentium Dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Cœli terræque* vocabulis omnia continentur corporea, ſubjecta ſenſibus noſtris: Angelos etiam habitatores cęli empyrei, & dæmones hanc inferiorem regionem, & infimam incolentes Deus fecit. Sed hæ ſubſtantiæ remotiores ab intelligentia vulgi ſunt. Myſticè cęli, terraque multa denotant, ut alibi notatum eſt: hìc etiam illos, qui per ſancti Spiritus abundantiam cum cęlis comparari poſſunt: & qui ob mediocritatem donorum ſpiritualium quadam adhuc ex partę terreni cenſentur. Vel, ut ait Bruno, & eos, qui compluunt alios divino rore, & ipſos complutos.

h verſ. 5. 6. — *i verſ. 5. 6.* — *k pſ. 95. 9.*

Verſ. 3.) Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui cuſtodit te.

COmmutata perſona peregrini, quam prius loquentem induxerat, ipſemet Propheta ſuammet propriā induens, alloquitur peregrinum, reſpondetque, tacite approbando, quod levaverit oculos in montes, & prætcritis vanis aliis, auxilium divinum dumtaxat quæſiverit: & ſignificat ſe præterea ipſi ab eodem Deo proſperū iter optare, ne ſinat eum labi, offendere, cadere, errare: ſed vigili ſemper cuſtodia, & adjutorio corroboret, ac ſtabiles reddat ad incedendum plantas ejus, tactaque dirigat, & perducat ad patrios montes tùm præſentis habitationis, tùm poſt hanc vitam, cęleſtis manſionis. Vel ſi ipſemet Propheta, ſicut peregrinus, exul, captivus loquebatur in propria perſona, aut etiam populi poteſt nunc intelligi eſſe oratio comitis, & ſocii viæ, qui bonum animum jubeat habere eum, qui tam bene Dei ſperaverit auxilio eidemque bene precetur, & ominetur. Auguſtini, & aliorum tropologia eſt de *pede ſuperbiæ*, quæ præcipitat in caſum, ita ut ſtari non poſſit *l*, quemadmodum accidit apoſtatis Angelis, & primis hominibus inobediētibus: nec raro aliis provectis famulis Dei, qui ut ait Caſſiodorus, cum aliquid ſibi videntur eſſe, peſſimo labuntur errore. Explicat Bruno, ne fidei pedem, per quem mens ad ſuperiora tendit, permittat Deus commoveri à ſtabilitate ſcripturarum (& aliarum rerum credendarū, eſt autem fides ὑπόστασις, βάσις fundamentum) ut concidat in errorem: *neque dormitet*, ideſt, vacillare ſinat, & aliquo modo dubitare idem Deus, qui cuſtodit ſuos per inhabitantem gratiam, gratiæque auxilium. Ayguanus vult in votiva prece prædictionem contineri, fore ut pedes Eccleſiæ, ideſt, Apoſtolo non commoveantur ullis terroribus à prædicatione, neque deſtituat Deus cuſtodire Eccleſiam ſuam. Valentia putat orari, ne diabolus commoveat, & ut Angelus vigilantes cuſtodiat. Conſiſtit uterque ſenſus modo dictus litteralis, & myſticus, ſive legas ut nunc habemus, *non det*, *&c.* ſive ut alii *non des*. Sed hoc ſecundo modo Chryſoſtomus *m*, ait exigi, ut quod in nobis eſt faciamus, atque firmi, & conſtantes eſſe ſtudeamus, nec res fluxas curemus, ſi velimus, ut in noſtri cuſtodia Deus perſeveret: Euthymius, & Nicephorus commendari fraternum amorē, utque pro altero ad Deū preces fundere diſcamus, quæ præſenti ſermone continētur, cujus eumdem ait eſſe ſenſum, quem Chryſoſtomus. Quum de formulis iſtis egerimus in hoc opere, præſertim de pedis commotione, vel confirmatione *n*, illud notatu inprimis dignum videtur, quod Hilarius docet, poſita prius expoſitione quid figurate pes denotet, in hac benedictione, quam ipſe vocat, non eſſe intelligendum, quod aliquos Deus tradat in vitia, in quæ pedibus corruptæ mentis invehimur, ſed quum ab eo abſcedimus, id conſequitur, & ut dæmonum dominativi ſubdamur, quos obtinere, niſi à Deo à nobis abſcedente, non poſſunt. Addit quod ſecundùm fidem noſtram aut vigilantem, aut dormientem Dei auxilium nobiſcum aut vigilat, aut dormit, qui etiam dicitur *cum Sancto ſanctus, cum perverſo perverſus o*, ſemper in ſe ſanctus, nec vigilans propriè, vel dormiens, quæ ſunt terrenis corporibus neceſſaria: vel ſi alterum horum eligas, ſemper vigilans. quum ejus Angeli, & nomine, & natura vigilantes ſint. Sic eos quidem Daniel *p*, appellat. Eodem ſpectat Ambroſius, *q* ſcribens præſente proditore Juda fluctuaſſe naviculam *r*, tranquillitatem fuiſſe, ubi erat ſolus Petrus: & quod quiſquis peccatum admittit, ſtatim & dormire ſibi facit Dominum, neceſſe eſt autem diabolica inſurgat tempeſtas quum Dominica ſerenitas conquieſcit.

Senſus loci. — Tropologia. — *l pſ. 35. 12. 13* — *m hic & homil. 42. ad popul.* — *n pſ. 12. 5. pſ. 16. 4. pſ. 17. 17 pſ. 93. 18. pſ. 117. 13.* — *o pſ. 17. 26. 27.* — *p c. 4. 10. 14. 20.* — *q ſer. 11. edit. ult.* — *r Matt. 8. 24.*

Non det in commotionem pedem tuum.) Hebraicè in futuro tertiæ perſonæ אל יתן *al iithen*. Videlicet Dominus, idem ipſe qui cuſtodire dicitur, nec permittat ut des commoveatur. Vel, non det quiſquam in commotionem pedem tuum, ita ut ſequenti membro ſit ſermo de Domino cuſtodiente, vel de Angelo, quem ille præfecit cuſtodiæ. Poteſt autem intelligi, ne quiſquam ſive homo, ſive diabolus, commoveat, deturbet, dejiciat, ſternat, aut etiam vacillare faciat. Orat vero David vel pro ſeipſo ad ſeipſum converſo ſermone, tamquam ad aliam perſonam vel pro quolibet alio, vel pro toto populo. Vetus Pſalterium, & Auguſtinus habent in ſecunda perſona verbum, & pronomen in prima, *ne des admovendum pedem meum*. Auguſtinus explicat id dici Deo, ne ſinat labi ſuperbia, & deficere: viciſſim Deum id quod ſequitur dicere, monendo, ut qui ab eo illud petit, & hoc dicat, *neque dormiet, qui cuſtodit te*, ideſt talem elige cuſtodem, qui non dormitet procul dubio non alium quam Deum, de quo in verſu ſequenti aſſeritur quod, *non dormitabit neque dormiet*. Hac poſita lectione non potuit melius exponi, ſed retento verbo ſecundæ perſonæ, & ponendo pronomen in tertia perſona, *nos des in communionem pedem tuum*, ut ſic Propheta docet alium, conſtantiam & firmā ſpem in Deo conſervare; deinde vero eidem optat, ac etiā pollicetur perpetuam cuſtodiā Dei, ſi illud fecerit. *Neque dormitet qui cuſtodit te.* Sic Græci legunt & exponunt μὴ δώῃς εἰς σάλον τὸν πόδα σου Aquila μὴ γῴης εἰς σφάλμον πόδας σου, *ne des in prolatſionem pedes tuos*, Symmachus, μὴ δώῃς περιτραπῆναι, *ne des cor converti*, Apollinarius.

ἀλλὰ φίλος μὴ σεῖο πόδα κλονέεσθαι ἐάσῃ.

Quod qui circumfertur Interpres ejus, ita tranſtulit.

Verum amicus ne tuum pedem moveri ſinat.

Quæ translatio congruit cum noſtra, ſed neſcio quem amicum intelligat, niſi per antiphraſim aut fictum amicum. Si verbum ultimum ſit ſecundæ perſonæ futurum ἐάσῃ mediæ vocis, & ſi φίλος Atticè ſumatur in vocativo, ſenſus erit idem, qui traditur ab aliis Græcis.

Verum amice ne tuum pedem moveri ſinas.

Arnobius legit, *ne des in commotionem pedē tuum*, ideſt, inquit, non volo, nolo aſcendēdi conſilium (alludit ad *cantica graduum*) ſumas, ſed incunctanter aſcende, quia non dormit, qui cuſtodit te, &c. Emendata biblia Græca habent δῷς in ſecunda perſona, ſicut Græcos legere dixi, licet

licet in Complutenſibus, Regiis, & aliis ſit δῷς in tertia. Qua in re facilis fuit mutatio, quemadmodum & ut *pedem* aut *pedes* legamus, quod ſola inſerta littera, *jod* vel omiſſa facere poteſt in Hebræo nomine, cum affixo רגליך *raglecha*, vel רגלך quod eodem modo profertur; præterea ut vel in commotionem, vel ad commovendum, quod eſt למוט *lammot* verbum cum ſervili littera, ponique ſolet pro nomine. In Æthiopico Pſalterio eſt adhuc diverſa verſio, *non det in commotionem pedem meum* quod per modum deſideriis poſſet declarari ea fere ratione, quam retulimus ex Auguſtino. Ideſt, non det Deus, vel ſinat, pedum commoveri, & labi. Omnibus iſtis modis eadem ſemper fere ſententia eſt: noſtra vero editio magis congruit cum Hebræa, & cum non paucis codicibus Græcis, & vetuſtiſſimus Latinorum enarratorum Hilarius illam ſequitur.

Neque dormitet qui cuſtodit te.) In Romano Pſalterio, *neque obdormiat*, quod minus correcte videtur eſſe in eo, quo nunc utitur Baſilica Vaticana, *obdormiet*, quamvis videantur Enarratores Græci legiſſe non νυστάξῃ ut nunc eſt; ſed futurum indicativi modi νυστάξει, quo etiam pacto B legit Nebienſis. Faber eo modo recitat, quem dixi, Romanum Pſalterium; & magis convenit cum priore membro: & Græci illi non tam legunt in futuro, quam exponunt, id quod optantis more dicitur, ita futurum. Apollinarius uſus eſt ſubjunctivo modo.

μηδ' ἔσεο ἀγρύπνιο φύλακος σου ὕπνος ἐρύξῃ.

Neque tui vigilantis cuſtodis mentem ſummus occupet.

Denique ſic ſimplicius, & facilius cohæret ſenſus utriuſque membri, hujus, & præcedentis, ſine perſonarum, & verborum tanta, tamque ſubita variatione. De Metaphora porro Dei dormientis, dixi quid Hilarius hoc loco tradat. Ductam ſimilitudinem notat Theodoretus ab iis, qui greges, exercitus, civitates, diligenter cuſtodiunt. De excubiis, cuſtodiis, vigiliis, prætenturis, ſtationibus agrariis, militaribus, conſulendi Auctores de re militari, ut Valerius noſter *a*, & Lipſius *b*, qui alios citant, quibus Onoſandrū adde in Strategico, cum Scholiaſte Chokiero. Nonnihil nos ipſi alias, deque dormitione, ac ſõno, quemadmodum convenire intelligatur Deo. Dormitatio etiam levis magnum quandoque cuſtoditis rebus damnū C affert. Dici item poteſt membro utroque boni cuſtodi cõditiones deſcribi, ut nec labi cuſtodiæ commiſſum ſinat, nec ipſa unquam dormitet, ita ut per hanc incuriam noceri illi poſſit. Teſtantur hiſtoriæ hoſtes interdum dormientes oppreſſos eſſe, & celebris mentio ducis, qui dormientem cuſtodem, ita ut erat, occidens, ſicut inveni, dixit, ſic reliqui, eo quod mortuo ſimilis dormiens ſit.

a lib. ſ. cap. 6. b l. 5. dial. 9.

Boni cuſtodiis conditiones.

Verſ. 4.) Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.

Senſus loci.

QUod optavit, ac bene ominatus eſt peregrino, nunc promittit, in omni peregrinatione ipſius numquã defuturum vigilem, ac ſedulam cuſtodiam Dei, qui populi ſui Iſrael peculiarem cuſtodiam ſuſcepit, eamque jam inde ab exitu de Ægypto per annos quadraginta in deſerto, & poſtea tam ſæpe exercuit. Nec oculos, inquit, vel ad momentum claudet, leviterque nictabit: D multo minus indulgebit profundiori ſomno. Myſticè agens Auguſtinus, Proſper, aliique, & illam tritam, licet non æque veram, ſecuti etymologiam nominis *Iſrael*, hortantur, ut ſit unuſquiſque *Iſrael*, ideſt *homo videns Deum* primo fidem, ut poſtea videat per ſpeciem, videns prius Dei poſteriora, ut deinde videat ipſammet faciem illius *c*; ſic fore, ut Chriſtus, quid *dormivit; & ſomnum cœpit* moriendo, ſed *exſurrexit d*, reſurgendo nec jam amplius dormitet; vel dormiat rurſus, mortalem carnem geſtando & moriendo, cuſtodiat Iſrael iſtum per fidem videntem & credentem, viſurum vero aliquando ipſam ejuſdem divinitatem. Vide *e* mundantur ſeu purificantur corda; *beati* * vero *mundi corde quoniam ipſi Deum videbunt*. Aliam Hilarius cauſſam inſinuat, retinens idem etymon *Iſrael*, & ſpiritualiter cum Apoſtolo *f*, accipiens de populo Eccleſiæ, quem ille nominat *Iſrael Dei*, cur de *Iſrael* mentio fiat, quia Jacob ſortitus cognomen id, ſingulari quodam fuit fiducia ſpeque in Deum. Hoc enim juxta dictam notionem eſt Deum videre, elatis, ut initio pſalmi canebatur, oculis videre & dicere, *auxilium meū à Domino, qui fecit cœlum & terram*. Quem vocant Hieronymum, ſpiritualium oculorum intentionem requirit, qua quis perſpiciat Deum. Bruno, quod non dormitet Deus interpretatur, ut non permittat in fide vacillare, quod non dormiat ex toto commoveri in fide.

Etymologia Iſrael.

c Exod. 33. 23.
d pſ. 3. 6.
e Auguſtinus 15. 9.
* Matt. 5. 8.
f Galat. 6. 16

Ecce.) Exultantis & gratulantis hoc loco interjectio: vel etiam demonſtrantis & confirmantis palam eſſe planè ita ſe habere, quod antea optando prædixiſſe viſus erat. Id Apollinarius per cauſſalem δὴ ῥα declarat. Poteſt præterea habere vim admirantis, tùm ex parte ipſiuſmet Prophetæ ob admirabilem benignæ cuſtodiæ Dei modum, licet ſatis uſitatum, ſibique familiarem & compertum, tùm ex parte hoſtium, idque cum quædam inſultatione, qui minime expectarent, aut ſibi perſuadere poſſent adeo benignum ac validum auxilium, quo Deus captivos liberaret.

Non dormitabit neque dormitet.) In Pſalterio Romano, apudque Iſidorum *g*, Auguſtinum, & Proſperum, *neque obdormiet*. In Caſſiodoro, & Fulgentio *h*, *non dormitavit neque obdormiet*. Major in aliis linguis verborum diſcrepantia νυστάζει, & ὑπνώσει ינום *janum*, & יישן *iiſchan*, Eadem iſta omnia verba conjuncta reperiuntur alibi *i*, vel loco Græci ſecundi, compoſitum καθυπνόω, κοιμάομαι, καθεύδω. Tertium verbum Hebræum נרדם *nirdam* ſignificat *gravi ſomno*, ſeu *ſopore opprimi*; primum *paullulum dormire*, quodque aliter dicitur non ſolum *dormitare*, ſed *etiam dormiturire*, quæ verba Grammatici vocant deſiderativa, vel inchoativa. Inde pſ. 131. *K* תנומה *thenumah dormitatio, nutatio, nictatio*, levior ſomnus & palpebris aſſignatur, quæ per parva intervalla nunc aperiuntur, nunc clauduntur, ſicut ſomnus oculis videlicet abſolutè & diutiùs clauſis. Vertit Interpres aliquando *l* נום *num*, ſimpliciter, *dormire*, aut pro verbo nomen *ſomniorum m*. Eſt νυστάζειν propriè *capite nutante dormire*, ſive *cum quis caput inter dormiendum quaſſat degravat, oculis connivet*. Quum *dormire* ſit pluſquam *dormitare*, ut creſcat oratio & cuſtodis commendatio, ſenſus eſt, quod ne dormitabit quidem, tantum abeſt ut dormiat. Nec vero aliter Chaldæus Paraphraſtes tranſtulit, quam quo modo nos habemus; licet aliqui referant ſic vertiſſe (profecto neque dormiet umquã, neque leviter obdormiſſet.) C Quod nec in Bibliis Regiis reperio, nec in textu Nebienſis. In pſ. 131. *n* creſcit oratio ut antea dixi; *ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem*. Quare non acquieſco Riberæ *o* noſtro *dormire & dormitare* in Scriptura idem omnino valere, hoc eſt, ſimpliciter dormire, atque per translationẽ mori. Non eſt vulgi dicta diſtinctio, ſed à doctis paſſim tradita. Thomas Aquinas *p* ut probet in Deo non eſſe habitualem cognitionem, profert præſentem locum; docens, quod diſpoſitio quis eſt habitu tantum conſiderans, aut volens aut agens aſſimilatur diſpoſitioni dormientis. Bernardus *q* ait, quod vigilat ſuper nos indefeſſus, & pervigil ille ſingularis clementiæ oculus *non dormit neque dormitat, qui cuſtodiet Iſrael*, quia non dormit neque dormitat, qui impugnat Iſrael. Angelos etiam deſtinavit cuſtodiæ noſtræ, quos cum Hilario ante monui natura, & nomine Vigiles eſſe, hocque nomine appellatos à Daniele *r*. Numquam dormitant, aut dormiunt Angeli, ſicut nec dæmones. Minime nos docet indormiſcere, minus profectò eos, qui cuſtos conſtituti ſunt, qualis magiſtratus quivis, & princeps, quem Jeremia *ſ* per *virgã vigilantem*, & hieroglyphicè repræſentabant Ægyptii per oculatum ſceptrum, aliique per leonem, qui apertis dormire dicitur oculis, & Rex animalium vocatur. Sed hac de re ſæpe alibi. Legatur præ aliis exaggeratū à Chryſoſtomo *t* exemplum Jacob, gregem ſoceri tam ſtudioſe cuſtodientis *u*. Alexandrum ſcribit Arianus *x* ſuis dixiſſe aliquando plus vigilare, quam vos, me certo ſcio; ut ipſi quieto ſomnos capere poſſitis. Imponat ſibi Princeps exploratoriam coronam more Caligulæ, in qua Sol, Luna, Stella diſtinguuntur *y*, ut ſibi ſive noctu, ſive interdiu perpetuo vigilandum meminerit. Ea ille donabat etiam comites participes victoriæ, quaſi, ut quidam *z* putant, ſignificare vellet, ut omnia rebus illis explorantur, ita ſibi exploratam, perſpectamque talium virtutem.

g de voc. Gentil. c. 10
h epiſt. 4. c. 2.
i Prov. 6. 10. cap. 24. 33. Eſa. 5. 27. Matt. 25. 5.
K verſ. 4.
l pſ. 75. 2.
m Eſa. 56. 10
n verſ. 4.
o in Nachum 3. n. 27
p l. cont. Gentes c. 50. ſub fin.
q ſerm. 12. in pſ. 90.
Angeli cuſtodiæ noſtræ deſtinati Vigiles dicti.
r cap. 4. 10. 14 28
ſ cap. 1. 11.
AEgypti per oculatum ſceptrum principes & magiſtratus hieroglyphicè repræſentabant; alii per leonem
t hom. 57. in Gen.
u Gen. 31. 38 & ſeq.
x lib. 8.
y Pierius l. 44. f. 332.
z Carol. Paſch. 9. de Coron. c. 10.

Qui cuſtodit Iſrael.) Populum Iſraeliticum, ut ſæpe dixi: nec opus etiam repetere, quid nomen ſignificet, aut quo pacto ſpiritualiter ſumatur. Id paullo ante attigi Deũ porro de nocte cuſtodem ter appellat in eodem loco uno Eſaias *a*, quod Greveus *b* ſermone in præſentem pſalmi de tribus perſonis myſticè declarat, ſimulque quid ſit *de nocte clamare*, hoc eſt, petere *auxilium de tribulatione c*: quid *ex Seir*, hoc eſt; juxta etymon, ut

a c. 21. 11. 12.
b ſerm. 276.
c pſ. 59. 13.

hiſpidum & piloſum ſignificat, adverſus pilos deſideriorum carnalium. Merito ridebat Elias falſum deum Baal, jubens ut Sacerdotes, qui fruſtra ipſum invocabant, *clamarent voce majore, Deus enim eſt*, dicebat ille, *& forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur a*. At Dominus Deus verus, qui dixit, *Iſrael erit nomen tuum b*, exaudivit Eliam invocantem, *ut oſtenderet, quia ipſe eſſet Deus Iſrael c*.

a 3. Reg. 18. 27.
b Gen. 32. 28
c 3. Reg. 18. 31. 36. & ſeq.

Verſ. 5.) Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

Senſus loci.

ALteram partem officii boni cuſtodis, non ſolum ut nec dormiet quidem, verum etiam non det in commotionem pedem cõmiſſi ſibi in cuſtodiã, nec labi ſinat, ſed ſuſtentet, hic exequitur. Nam docet eo uſque procedere divinã cuſtodiam, ut ſit quoque protectio cuſtodito ad manum dexterã ipſius, tãquam vice baculi, ſcipionis, B virgæ, fulcri, cui incumbens non commoveatur, nec veſtigium fallat: aut loco armigeri, ſcutove protegentis, ſervi, ſive militis, quem vocabant Latini, quod lateri dextero adſtaret, idque tegeret ac protegeret, lateronem: ſive illius, quem Græci παραστάτην & ἐπιστάτην, (quas voces Tertullianus *d* Latinas fecit) qui juvabat in acie, vel in agoniſtico, ſeu athletico exercitamento, ut docent Hieronymus Mercurialis *e*, & Petrus Faber *f*: & hoc loco Symmachus generali nomine βοηθὸν appellat, quem LXX. σκέπην *tegumentum* Simili ratione hocce David expertum canens & gratulans dixit *g*, *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt, mihi, ne commovear*; præterea *h*, *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate deduxiſti me*. Qui tenet alterius manum dexteram, & deducit, ſiniſtra tenet illam, & dextera tegere, protegere, defendere poteſt. Atqui protectio eſt, non ſuimet loco objectu corporis, ſed etiam alia re aliqua inumbrante, hanc prætendit in alium dextra manu: quod item Propheta noſter expreſſit aliis verbis *, *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli*. Ex quo illud perſpicitur, quod non ſemel iſto in opere monuimus, non ſemper nobiliorem locum tenere, qui adſtat ad alterius dexteram, ſi nimirum eo modo, quem nunc dixi, tamquam ſervus & miniſter. Quamquam tali fungi ſic munere poſſit, ut ſimul honore alium afficiat; nec ut vilis ac ſervilis perſona, ſed multo præſtantior & potentior, ut quum id de Deo dicitur, & honoris ſoliuscauſſa tùm Reginã Rex aſtare ſibi à dextris facit *i*, tùm Chriſtum etiam ut hominem Deus Pater *k*, de quo item Chriſto canitur *l*, quod *Dominus à dextris ejus confregit in die iræ ſuæ Reges*. Alludi poteſt hic etiã, verſuque ſequenti, ad columnæ duplicis in deſerto protectionem, præſertim nubis, qua populum Deus tutatus eſt, non tantum à Solis ardore, ſed ab Ægyptiorum etiam furore; ſtetit enim inter horum caſtra, & caſtra Iſrael, ut ſe invicem videre, & accedere non poſſent *m*. Cecinit Moyſes *n*, quod *populum ſuum Deus circumduxit & docuit, & cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui: ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas* D *ſuas, & aſſumſit eum, atque portavit in humeris ſuis*. Scribit præterea Eſaias *o*, quod eduxit ad dexteram Moyſem brachio majeſtatis ſuæ. Myſtico ſenſu cuſtodia, protectioque ſuper manum dexteram, refertur ab Auguſtino, & aliis, ad bonas operationes, & cum recta intentione factas, quas Deus dirigat & conſervet, donec perveniatur ad æternæ felicitatis dexteram. Longum de hoc ſermonem Auguſtinus inſtituit, expendens eam lectionem, qua ipſe utitur, *ſuper manum dexteræ tuæ*, ſiniſtramque ſumit pro quovis opere ac re temporali; dexterã pro æterna, & incommutabili; *dexteram iniquitatis p*, eſſe in illo, qui quod ſiniſtrum eſt, pro dextro æſtimat, collocans felicitatem in facultatibus, deliciis, affluentia, copiaque mundi. Job habuiſſe dextram pro dextra, ſiniſtram pro ſiniſtra, & hac percuſſa integram illam retinuiſſe *q*: ſponſæ *ſub capite ſiniſtram* ſponſi eſſe, *dextra iſtum ipſam amplexari r*, *longitudinem dierum* (ideſt, beatam æternitatem) *eſſe in dextera, in ſiniſtra divitias, & gloriam ſ*. *Si quis percutiat dexteram* alapa, hoc eſt, fidem tollere velit, *præbendam ſiniſtram t*, ut potius tollat omnia temporalia: *neſcire* debere *ſiniſtram, quid faciat dextera u*, ut fiat bonum opus propter vitam æternam, non propter temporalia bona ſola; *manum dextera* hic ſignificare poteſtatem a Deo factam, ut ſi velimus donante ipſo, ſimus ad dexteram in die judicii *x*, ſive, ut *ſimus filii Dei, credendo in nomine illius y*: hanc *manum dextera*, ſive poteſtatem ac fidem egere protectione divina, ob tot tentationes, moleſtias, carnales corruptiones, ſuggeſtiones, cupiditates, verſutias, & laqueos inimici, ſcandala, *ne permittat Deus nos tentari ſupra id, quod poſſumus z*, nec errare, vel circa Solem) pertinet hoc ad ſequentem verſum,) hoc eſt, Deum, vel circa Lunam, ſcilicet humanitatem Chriſti, & Eccleſiam, ut certo loco hanc adſtrictam putemus, quemadmodum Donatiſtæ, non autem Catholicam & univerſalem omnium amplitudine provinciarum Orbis. Hæc ſumma ſermonis Auguſtiniani, qui videri poſſit ex Hilarii ſtricto commentario promtus. Nam Hilarius conſiderans quoque phraſim juxta dictam translationem, *ſuper manum dexteræ tuæ*, docet, quia adverſantes nobis dæmonum virtutes optima & validiſſima fidei noſtræ opera (ſignificata per *manum dexteræ*) debilitare & convulnerare contendunt, idcirco *ſuper manum dexteræ* cuſtodiam Dei vigilaturam promitti, ut illibata in nobis B bonæ voluntatis opera perſeverent; quibus manentibus, æterni illius, & beati temporis regno, (nempe ad dexteram cum electis *a*) abſterſa omni infirmitate corporeæ labis, mancipemur. De differentia dexteræ & ſiniſtræ, pro ſpiritualibus & temporalibus, habet ſimilia Bernardus *b*, tractans verba pſalmi 90. *c Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*: ubi nos etiam & alibi eadem de re egimus, & quo pacto cor juſti dicatur *eſſe in dextera* *, *Deuſque noviſſe vias, quæ à dextris ſunt, & à ſiniſtris ſunt, eſſe perverſa d*; *& in dextera illius ignea lex eſſe e*, nempe lex amoris, ad quam ſervandam ſua Deus manu juvat, atque his ſimilia.

Non ſemper ad dexteram nobilior.
* pſ. 139. 8.
p de ſpect. c. 11. & lib. de mart.
e lib. 2. gymnaſt. c. 12.
f 2. agoniſt. cap 5.
g pſ. 15. 8.
h pſ. 72. 24.
i pſ. 44. 10.
k pſ. 109. 9.
l ib. verſ. 5.
m Exod. 14. 20.
n Deut 32. 10. 11.
o cap. 63. 12.
Senſus myſticus.
p pſ. 143 11.
q Job. 1. ult.
r Cant. 2. 6. cap. 8. 3.
ſ Prov. 3. 16.
t Matt. 5. 39
u cap. 6. 3.
x cap. 25. 27. 34.
y Joan. 1. 12.
z 1. Cor. 10. 1
a Matt. 25. 27. 34.
b Serm. 7. in pſ. 90.
c verſ 7.
* Eccl. 10. 2.
d Prov. 4. 27
e Deut. 33. 2

Dominus cuſtodit te.) Eodem modo Hieronymus, præterquam apud Trevetum, qui recitat, *cuſtos meus*. In Hilario lego, *cuſtodiat*, vel *cuſtodiet*. Græcè in Complutenſibus, Regiis, & aliis codicibus, φυλάξοι optativè, in emendatis φυλάξει indicativè in futuro, ſicut etiam legunt Enarratores Græci. Hebraicè, *cuſtodiens te*, שמרך *ſchomereka*, nimirum vel *eſt*, vel *ſit*, vel *erit*. Paraphraſtes C expreſſit futurum indicativum, טינרנו *tinterinnu*. Interpres Latinus præſens tempus modi ejuſdem.

Dominus protectio tua.) Sic etiam Hieronymus. Alii autem ex Hebræo, *umbra*, vel *umbraculum tuum*: eſt enim à צל *tſel* hoc loco cum affixo, צלך *tſilleka*. Chaldaicè, *obumbrabit tibi*, aut *ſuper te*, יטלל עלך *jatlel hhalak*. Propter nomen *umbra* alii *f* negant eſſe hic metaphoram ex homine armato, qui ſtet ad alterius dexteram, ut protegat. Ea tamen Græcorum, & nonnullorum Latinorum expoſitio eſt, atque juxta eamdem ſimilitudinem in alio pſalmo *g* dicitur, ut prius quoque monui *obumbraſti ſuper caput meum in die belli*, ἐπεσκίασας סכות *ſachotha protexiſti*. Legit in iſto noſtro pſalmo vetus Pſalterium & Auguſtinus, *tegumentum tuum*. Græcum autem nomen eſt σκέπη. *In umbra alarum Dei ſperaturum ſe*. Pſaltes alio in pſalmo *h* dixit, *& Altiſſimi virtute*. Mariam Gabriel *obumbrandam* promiſit *i*: quod alias me explicare memini, nec non & de vi comparationis umbra ex petitæ. Illa ſane ratio commoda, quod ſicut corpus umbra ſemper ac D ubique comitatur; ita hominem divina protectio, niſi *nubem homo opponat* peccati, ne *tranſeat oratio K*, ne divinæ ſingularis protectionis effectus ad eum pertingat.

f Bellarm.
g pſ. 35. 8.
h pſ. 56. 2.
i Luc. 1. 35.
Sicut umbra corpus, ita divina protectio hominem pium comitatur
K Thren. 3. 34.

Super manum dexterã tuam.) Dixi legere Hilarium & Auguſtinum, *dexteræ tuæ*. Ita quoque Pſalteriũ verus habet, atque Hieronymus, in textu Treveti. Nullã video rationem, cur legi debeat illo modo, quũ ſit Græcè, ἐπὶ χεῖρα δεξιάν, & Hebraicè, על יד ימינך *hhal jad jemineka*. Quare non videtur neceſſaria, quã tam pio ſtudio Hilarius & Auguſtinus afferunt, annotatio circa dictam lectionem, quam Hilarius ait contra naturæ intelligentiã eſſe poſitam, quaſi videatur ſignificari dextera habens manus & dexteram & ſiniſtram; quod non recepit, inquit, nec natura hominis, nec ſenſus. Non vererer affirmare mendoſam lectionem, cui nuſpiã ſimilem alibi reperire eſt, niſi me Patrum illorũ, & Pſalterii veteris non ſpernenda cõtineret auctoritas. In textu autẽ Græco facile fuit ex δεξιᾶς fieri δεξιάν. Chryſoſtomus refert aliam tranſlationem, quæ habeat pro ἐπὶ, *ſuper* παρὰ *juxta*. Idem inſinuant ceteri tractatores Græci, Theodoretus, Baſilius, Euthymius, Nicephorus, explicantes per nomen παραστάτην, de quo prius dixi. Suſtulit æquivocationem, quæ oriri poterat ex *manu*, Paraphraſtes pro illa *latus* ponens, סטר *ſetar*. Sed in textu Nebienſis plura ſunt. *Deus obumbrabit tibi, propter chartulam præceptorum*, que

quæ confirmata eſt ad manum (*latus* debuit Nebienſis vertere) *dexteram tuam in ingreſſu tuo*. Sed & conſtat, nomen Hebræum יד *jad*, cum præpoſitione על *hhal* ſumi pro *latere*. Sic *ſuper manum dexteræ* ſi legas, interpretaberis, *ſuper latus dexteræ manus*, aut *ſuper latus dextrum*. Quin etiam nomen Latinum *manus & manuum*, in eadem notione Interpres noſter videtur aliquando uſurpaviſſe *a*. Quibus placet hic eſſe comparationem ex armato milite adſtante ad dexteram, ſed ex umbraculo, quod manu geratur, argumentantur *b*, quia Græcè & Hebraicè non eſt *ad*, ſed *ſuper*. Atqui Græcos modo retuli exponentes per *ad*, ſive *juxta*, quam quoque notionem habere ἐπὶ exemplis oſtendi poteſt. ut

a Pſ. 103. v5. Eccleſ. 14. 25. Eſa. 57. 8.
b Bellarm.

Οὕτω γάρ κέν μοι εὔκλεια τ' ἀρετή τε
Εἴη ἐπ' ἀνθρώπους.
Sic enim certe mihi gloriaque virtuſque
Sic (*aut fuerit*) *apud homines*.

De על ſignificante *juxta, apud, ad, prope*, plurima exempla ſunt in promtu *c*. Accedit non videri commode intelligi, quod ipſemet, qui cuſtodiri dicitur à Deo, geſtet manu umbraculum; nec quod id Deus det, quod adhuc non faceret, niſi accedens ad eum, ipſiſque dexteræ manui imponens. Potius ergo dicendum, quod Deus ipſe tegat ac protegat. Id autem rectè fit, veluti *obumbrando in die belli* & pugnæ, ut jam non ſemel ex alio pſalmo *d* retuli: & officium fungendo παραστάτου καὶ ἀσπίζοντος: quæ duo Nicephorus conjungit. Nec denique officit, quod ſequenti dicitur verſu de Sole & Luna, quaſi ab horum calore, ac lumine non defendat miles ad dexteram conſtitutus, ſed umbraculum ſuper caput manu dextera expanſum. Nam, ut non urgeam, quod jam dicebam, hic dici, *ſuper manum dexteram tuam*, quo innuitur, alium eſſe, qui protegat ab illo, cujus dextera nominatur: miles alium protegere poteſt pugnantem ſub radiis, ut non obcæcatus, melius, certiuſque hoſtem videns, feriat; atque etiam refrigeratus, diutius in certamine perduret. Qua de re dicto verſu ſequenti. Quod autem Hugo, Lyranus, Rickelius, *ſuper manum dexteram tuam*, declarant, pluſquam tua manus dextera protegere te poſſit, ſenſum facit & nimis humilem, & parum convenientem ſyntaxi grammaticæ, præſertim Hebrææ & Græcæ.

c Theſ. linguæ ſanctæ.
d Pſ. 135. 8.

Verſ. 6.) Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.

Senſus loci.

IN hoc protectionis, umbræ, umbraculi, tegumenti conſiſtit ratio & commoditas, ut ſi quidem pugnandum ſit, ut proxime notabamus, radii non obcæcent & & perſtringant; ſed abſolutè, ut iter facienti neque moleſtior ſit æſtus diurnus, neque frigidæ ac gelidæ noctes; nullæ demum aliæ injuriæ cœli & elementorum naturales in his duabus comprehenſæ: quemadmodum innuit protectio ad dexteram, propinquiora, & magis particularia mala: item quæ dicuntur ſequentibus verſibus, ea, quæ inferuntur ex induſtria, ſtudioque humano. Vel figurate innuuntur pericula cuncta, tùm aperta, tùm occulta, ſive clandeſtina; poteſtque comparari locus iſte cum illo pſal. 90 *e non timebis à timore nocturno, &c.* De redeunte populo ex captivitate Babylonica Græci exponunt: nec alludi tantum ad vetus beneficium nubis in deſerto poſt exitum de Ægypto *f*, ut ante quoque dixi: ſed ſignificari ſimile quodam conceſſum eidem in itinere, quod confecit rediens ex Babylonia. Id nominatim afferunt videri probabile Chryſoſtomus, Baſilius, Euthymius. Paraphraſtes tradit alium ſenſum, quod interdiu Sole dominante ſpectra non nocebunt diurna; nec noctu nocturna, quum dominatur Luna ſive horum varii aſpectus & influentiæ, quibus Gentiles terrentur & reguntur, ut etiam Burgenſis notat, & in eos invehitur Deus apud Eſaiam *g*, *Stent, & ſalvent te augures cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annuntiarent ventura tibi*: & in Deuteronomio *h* vetuit adorari, eo quod *ſint creata in miniſterium omnibus gentibus*. Myſticum Auguſtini *i*, qui eſt præterea Proſperi, Brunonis, Haimonis, Remigii, Bedæ, Hugonis, Ayguani, Pampolitani, ſenſum jam ante recitavi, de ſcandalis & erroribus circa divinitatem Chriſti, & humanitatem ipſius, Eccleſiamque. Quem vocant Hieronymum, & Caſſiodorus, iterumque Pampolitanus, nec non

e verſ. 5.
f Exod. 13. 21.
g cap. 47. 13.
h cap. 4. 19.
Senſus myſticus.
i hic & tr. 1. in ep. Joan.

alibi verus Hieronymus *k* exponunt, nec proſperis, nec adverſis juſtum lædendum: Arnobius non urendum ſtimulo, nec exagitandum igne concupiſcentiæ Hilarius, de temperie beata & æterna, poſtquam ſeculi hujus malis & injuriis, quas & Jacob paſſum ſe affirmabat *l*, liberati fuerimus: Hugo rurſum de Sole urente tripliciter *m*, hoc eſt, de proſperitate, per inanem gloriam, avaritiam, luxuriam; & de Luna adverſitatis, per triſtitiam & deſperationem; Rickelius, quod nec interdiu, nec noctu uretur & conſumetur flamma libidinis, igne impietatis, ardore peccati, juxta illud etiam Eſaiæ *n*, *Quum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te*. Ayganus adhuc, quod nec appetitu laudis bona inchoet, nec quæ virtutis amore incœperit, in laudis delectatione terminet, quod eſt *Solem non videre, quum fulget, nec Lunam incedentem clare o*, ut Gregorius explanat *p*. Valentia, de peccatis manifeſtis, ut ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ; & de occultis, ut invidiæ, odii, & aliorum, quæ nondum in actum prodeunt. Præter hos Enarratores pſalmi, Origenes *q* explicat, juſtum non uri, nec infuſcari, quod ſponſa dicit *decolorari r*, aut *à Sole* aut *à Luna*; ſed illuminari, ſed peccatorem, quoniam hic *odit lucem*, quum *male agat ſ*. Philo Carpathius *t* illo fere modo, quem prius ex Auguſtino retuli, nempe non uri à Sole, qui rectè de Trinitate ſentit; à Luna, qui in Eccleſiæ unitate, per humanitatem Jeſu Chriſti fundatæ, ejuſque pretioſiſſimo Sanguine redemtæ, ſecus non ambulat, quam fides orthodoxa decrevit. Hieronymus *u*, de ſtatu beatitudinis, in quo Solis ac Lunæ ceſſabit officium, erit autem ibi Dominus lumen perpetuum; *neque cadet ſuper beatos Sol, nec ullus æſtus x*. Cui ſimilis erat Hilarii recitata expoſitio. Idem præterea *y* de illo, qui ad luctam, & certamina præparatur, & Sole ſiccatur, ſuperatque mundi injurias. Angelicus Doctor *z* tractans locum ſimilem Geneſis de Jacob, qui *nocte, & die uſtum ſe gelu* dicebat *a*; & explicans de officio boni paſtoris, indicat per *æſtum* ſignificari fervorem perſecutionis, per *gelu*, (quod noctu præſertim concreſcit) timorem futurorum, quæ dicuntur *foris pugnæ, intus timores b*. Quidam non inepte applicant hunc locum, & quæ prius ac poſtea dicuntur, ad beatam Virginem, optime cuſtoditam à Domino, atque ab omni prorſus æſtu libidinis & fomite, immo & ab originali peccato præſervatam; ita ut eo numquam uſta, vel infuſcata fuerit, idemque Dominus cuſtodiverit ipſam ab omni malo cujuſvis peccati, etiam venialis, animam ejuſdem omni gratiarum genere ornatam, introitum, & exitũ totius vitæ, omniũ actionũ denique mortis, aut potius feliciſſimi tranſitus, quem brevi poſt glorioſi corporis reſurrectio & aſſumtio perhonorifica conſequuta eſt.

k in Eſa. 5. 4. 26. 49.
l Gen. 31. 40.
m Eccl. 43. 4.
n cap. 43. 2.
o Job 31. 26.
p 22. moral. c. 5. vel 17.
q hom. 2 in Cant.
r Cant. 1. 6.
ſ Joan. 3. 20.
t in Cant. 7.
u in Eſa. 60.
x Apoc. 7. 16.
y in Amos cap. 3.
z in 2. epiſt. ad Tim. in princip.
a Gen. 31. 40.
b 2. Cor. 7. 5.

Per diem Sol non uret te.) Hieronymus, *non percutiet*. Prius autem retuli Chaldæam paraphraſin, *interdiu quando dominatur Sol, non feriet te ſpectris matutinis*. Ferire, percutere, cædere, verberare, flagellare, plagis afficere, & his ſimilia ſignificat נכה *nachah*, quod hic eſt in futuro *hiphil*, יַכֶּכָּה *jachecbah*, cum affixo ſecundæ perſonæ ſingularis maſculinæ, & paragogica littera ה *he*. Sed quia Sol exurere ſolet, ita verterunt Interpretes: quum tamen tranſtulerint Hebræum idem verbum in hiſtoria Jonæ *c* per πατάσσειν, & *percutere*, quando narratur Sol illum percuſsiſſe, ipſe autem æſtuaſſe ac petiviſſe animæ ſuæ, aut moreretur, ſibique melius dixiſſe mori, quam vivere. Quod exemplum propoſito congruit, ut & aliud Manaſſis mariti Judith, *qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ, quum inſtaret ſuper alligantes manipulos in campo & venit æſtus ſuper caput ejus d*. Quibus tertium ſimile exemplum filii Sunamitidis, quem ad meſſores egreſſum capitis dolor ex nimio æſtu oppreſſit *e*. Lyranus explicat optativè, ne ardor Solis exurat per diem, ſicut fecit in Babylonia, ubi cogebatur populus more ſervorum, ipſo fervore diei operari in agris.

c cap. 4. 8.
d Judith. 8. 2.
e 4. Reg. 4. 12. 19. 20.

Neque Luna per noctem.) Paraphraſtes hic etiam addit, *neque noctu, quomodo dominatur Luna, nocturnis nempe ſpectris, feriet*; quod antea declaravi. Quia porro difficile videtur, quo pacto urat Luna; idcirco diverſis modis diverſi reſpondent.

Primus eſt, ut myſticè dumtaxat exponatur hic locus. Ita ſentit Auguſtinus.

Secundus, ut ſuppleatur aliud verbum, verbi gratia, neque Luna lædet te, videlicet, non quidem urendo, ſed aliter. Indicat Genebrardus, in una reſponſione, eamque Sa noſter ſequitur, & Scepræo placet, Titelmano, Janſenio, Cajetano, Ciconiæ, Placido, aliis, qui vertunt ex He-

ex Hebræo, in quo, ut dixi, non eſt *urendi* verbum, ſed *percutiendi*. Apollinarius autem diſtinctum verbum expreſſit, ſignificans nocere,

Οὔ σε πανημέριον φλέξει μένος ἠελίοιο,
Οὐδέ σε παννυχίη κεραὴ σίνοιτο σελήνη.
Non te diurna comburet vis Solis,
Neque te nocturna cornuta lædat Luna.

Euthymius & Nicephorus explicant per βλάπτειν, *lædere*: & poſterior docet, quod Luna non comburit, ſed ἐμποιεῖ καρηβαρίαν καὶ ὠχρότητα, *gravedinem capitis*, aut *beluεum & palliditatem*, ſive *pallorem*. Prior ait, *urendi* verbum accipi pro quavis læſione. Idem coguntur aſſerere, qui nocumentum Lunæ dicunt eſſe per humectationem, ut Burgenſis. Nec enim *urendi* verbum dici de illa ſolet. Niſi cum Gregorio *a* dicamus, ſicut naturæ Solis eſt, ut quæque attigerit, accendat & ſiccet; ita lunaris ignis eſſe proprium, ut quidquid contigerit, exurat quidem, ſed exurendo humidum reddat. Quod ille tropologicè transfert ad eum, qui recti operis affectus accedens, à vitiorum humore ſiccat, & ad illum, quem laudis amor provocans reſolvit, etiamſi ad operis boni exercitium accendatur. Refert Euthymius opinionem, quod urat Luna, quia non ſolum ſit humida, ſed etiam calida.

a 22. moral.

Tertio, Bruno docet, quamvis Luna non calefaciat, dici tamen urere, quia cutem offuſcat, & nigreſcere facit, ut faciunt alia, quæ propriæ urunt calefaciendo. Pallorem forſitan intellexit, de quo paullo ante Nicephor.

Quarto Rickelius & Lunam & Solem vult hoc loco dici non urere, ideſt, non deſtruere & perdere: hanc autem actionem tribui aſtris, quia præſunt diei & nocti, non quod ſit ipſorum, ſed quia facere dicuntur, quæ de die fiunt: vel de nocte, denique ſenſum eſſe, quod nec interdiu nec noctu, is, quem Deus cuſtodit, deſtruetur, & peribit.

Quinto, Poſſet uſtio & æſtus intelligi ab auſtrali vento, tam de nocte, quam de die, qui dicitur καύσων, & *ventus urens*. Quo modo etiam Sol & Luna pro die nocteq; acciperentur, Inſinuat Hieron. *b*

b in Ezech.

Ultimo, *Urere Lunam* intelligunt ratione frigoris multi recentiorum, ut Genebrar. Sceptæus, Bochius, quod confirmant etiam teſtimoniis Auctorum profanorum, qui *urere* uſurpant de frigore, rebuſque frigidis, ut de pruina, quam à perurendo dictam volunt, ſicut αἶθρος *frigus matutinum*, ac αἶθος, quod & Suidas exponit per καῦμα; qua de re diſſerunt quoque Galeottus Martius *c*, Hieronym. Magius *d*, Jonnes Brodæus *e*: de noſtris interpretes primi Georgicon Virgilii Pontan. & Cerda, qui multo plura congerunt ſuper hac forma dicendi teſtimonia, & ultimus ex Baſilio *f*, Gaudentio *g*, Philone *h*, Auctore Geoponicon *i*, Arnobio *k*, Minutio *l*, Turronenſe *m*, præter alios profanos. Ariſtoteles *n* ſcribit quod ἐνίοτε καὶ καίειν λέγεται καὶ θερμαίνειν τὸ ψυχρόν, *aliquando & urere dicitur & calefacere frigus* οὐχ ὡς τὸ θερμόν, ἀλλὰ τῷ συνάγειν ἢ ἀντιπερισταίνειν τὸ θερμόν, *non perinde, ut calor, ſed quia cogit calorem, ſive in unum contrahit, & per antiperiſtaſin circumobſiſtit eidem, ſicque nimirum intendit eum*. Prodit præterea *o* quod experimento quoque comprobatur, noctes tepidiores eſſe in pleniluniis, ob pleniorem lucem: item *p* in exitu menſis tempus eſſe frigidius & humidius, propter decrementum & defectionem Lunæ. Alia ex ſacris litteris duo illuſtria exempla ſunt, in quibus *urendi* verbum de gelu, & glacie dicitur. Primum eſt in verbis Jacob ad ſocerum Laban *q*, *die, noctuque æſtu urebar & gelu*. Ubi perperum nonnulli reponunt, *urgebar*. Lege eo loco Delrii noſtri commentarium. Alterum in Eccleſiaſtici libro *r*, quum agitur de Aquilone frigido vento: *Frigidus ventus Aquilo flavit & gelavit cryſtallus ab aqua: ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis: & devorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride ſicut igne*.

Urendi Verbum de glacie ſæpe dicitur.
c de doctr. promiſc. c. 3.
d 1. miſcell. cap. 17.
e lib. 2. ca. 8.
f orat. in 40. mart.
g de dedica. Baſilicæ.
h de charit.
i lib. 5.
k lib. 1. & 3.
l in Octavio
m 6. hiſt. c. 44.
n 4. Meteor. cap 5.
o de part. animal. c. 5.
Noctes in pleniluniis tepidiores.
p 4. de gene. animal. c. 2.
q Gen. 31. 40.
r cap. 43. 22. 23.

Sane quemadmodum uſtione areſactio fit, æſtuque dilatatis poris, humor evaporat, & reſolvitur, pori ſic intenſiore frigore condenſatio efficitur, clauduntur, humor induratus minuitur, tandem exareſcit, ac demum ita conſumi res poſſunt, ut per ignem extingui. Rectè Tertullianus *ſ*, aut Cyprianus,

Omne quod eſt nimium contra cadit; unum operantur
Et calor, & frigus: ſicut hoc, ſic & illud adurit:
Sic tenebræ viſum, ſic Sol contrarius aufert.

ſ car. ad Senatorem ex Chriſtiana Religione ad Idola converſum.

Ex omnibus opinionibus ultima optima, quia retinet litteralem ſignificationem verbi *urendi*; nec aliud, præter id verbum ſupplet & ipſimet Lunæ non alteri rei, ſumta Luna pro nocte, uſtionem tribuit. Sed uſtio rurſum ſumenda potius figurate, ac ſecundùm analogiam, non tam per calefactionem, quam per frigerationem, quia ut plurimum noctes frigidiores ſunt, quamvis plena Luna tepidiores. Apud Poetas cognominatam reperio nunc igneam *t*, nunc etiam frigidam *u*, & gelidam *x*. Ita *per diem Solem non urere, neque Lunam per noctem*: eſt nec diurnum calorem, nec frigus nocturnum afficere moleſtia. Hoc in gratiam interpretum noſtrorum, qui *urendi* verbo, & συγκαίειν ſunt uſi, quamvis Hebræum ſignificet *percutere*, ut dixi, & ſi eadem illa verba malis figurate ſumere quo quolibet cruciatu, quemadmodum non raro fieri aliàs vidimus, non repugnabo.

t Stat. 8. Thebaid.
u Pamph.
x Cimbr.

Verſ. 7.) Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.

Senſus loci.

AMplectitur cuſtodiam generaliorem, non tantum ut liberet Deus à lapſu, caſuque, ab omni errore itineris, à fatigatione, quam diurnæ nocturnæque cœli afferre poſſunt injuriæ, ſed tandem ab omni alio incommodo, quod peregrinanti occurrere queat; unde fiat ut totum iter anima, ſive vita conſervetur incolumis, ſine fame, peſte, gladio, naufragio, præcipitio, feris, aut venenatis beſtiis, furibus, latronibus, prædonibus, pyratis, quolibet periculo. Simul quoque includi poteſt votum de removendis, aut impediendis peccandi occaſionibus, quibus animæ vita ſpiritualis alioqui periclitaretur, quod beneficium pluris æſtimari merito debet. Nam in corpore peremti ſunt martyres, ait Auguſt. ſed de anima non ceſſerunt, cuſtodiente illos Domino. Confirmat exemplo Criſpinæ martyris Africanæ, clariſſimæ, de qua idem *y* ſæpe aliàs, ejuſque nomen recitetur in Martyrologio quinto Decembris. Sine dubio liberat Deus à malis corporis & externis, quatenus expedit juſtorum ſaluti, ſed multo magis ab iis, quæ per ſe repugnant eidem ſaluti, & vera mala cenſentur. Alia mala putantur eſſe mala, quæ ſunt infirmitati noſtræ & corpori debita, ut ait Hilarius videlicet mori, infirmari, egere: quæ ſi mala eſſent, & Abel viveret *z*, nec Job cruciatus eſſet *a*, nec Petrus pecunia, quæ in eleemoſynam poſcebatur, eguiſſet *b*. Ergo fidelem animam, ſubdit eleganter idem Doctor, ab omni malo Dominus cuſtodit, ideſt, ne eum diaboli tinea corrumpat, ne fur obrepat, ne canis oblatret, ne lupus laceret, ne urſus deſæviat, ne pardus inſiliat, ne tigris advolet, ne leo vaſtet. Hæc enim nunc ſunt diaboli miniſteria, hæc omnia ejus in tempore ſæculi hujus officia ſunt, vitiis conſumere: blandimentis ſubrepere, obtrectationibus lacerare, ambitione inſilire, laſciviis allicere, & tota virtutis ſuæ poteſtate vaſtare. Ab hoc igitur omni malo Dei expectanda cuſtodia eſt. Ambroſius *c* item ſcribit illa cavenda, quæ ex noſtra voluntate prodeunt delicta juventutis, & irrationabiles paſſiones corporis: mala non eſſe, niſi qui crimine mentem mentem implicant, & conſcientiam ligant: pauperiem, ignobilitatem, ægritudinem, mortem neminem ſapientem mala dicturum eſſe, nec in malorum ſorte numeraturum: quia nec contraria Diſtis in bonis habentur maximis, quorum alia nobis ex natura, alia ex commoditate accidere videntur. Proſper hic, & in ſententiis *d* ait, quod cuſtodit Dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur adverſi, ſed ut ipſis adverſitatibus anima non lædatur: quia quum tentatio adeſt, fit quidam in id quod impugnat introitus, & cum bono fine, ideſt, ſine vulnere animæ tentatio conſummatur, ad æternam requiem de profundo tentationis exitur, ſicut Apoſtolus *e* dicit, *Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ſupra id, quod poteſtis ferre: ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere*. Perpendit Chryſoſtomus *omne malum* hic exprimi, & *ab omni malo liberare* ſolum Deum poſſe, cujus nutui cedit quidquid invadit moleſti aſperi, hominem etſi ſæpe ab hoc malo liberaverit, ab alio non poſſe; vel ſi poſſit quidem, nolle. Euthym. obſervat eamdem hic ſententiam ſæpius repeti & confirmari, ut certi reddamur de divina protectione, atque illius animati deſiderio per rectam virtutum ſemitam incedamus. Et hic, & prius, & ſequenti verſu *cuſtodiendi* verbum quater inculcatur. Diceres ob tres perſonas, Deumque unum. Chriſtus injurioſè appellatus, non tantum dæmoniacus, ſed etiam Samaritanus; hoc ſecundùm

y in Eſ. 137 ſerm. 53. de verbis Domini, ſerm. 39. de diverſ. de Virginit. c. 44.
z Geneſ. 4.
a Job. 1.
b Act. 3.
c 1. Hexam. c. 8. & refertur 15. q. 1. c. iſta cavenda.
d Sent. 30.
e 1. Cor. 10. 13.

dùm nomen non rejecit *a*, quod cuſtodem denotat, ut notat Gregor. *b*. Cuſtos humani generis venerat, & ſi Samaritanum ſe non eſſe diceret, eſſe de cuſtodem negaret. Citat etiam ex alio Pſ. *c*, *Dominus cuſtodierit civitatem*, *&c.* & ex Eſaia *d*, *Cuſtos, quid de nocte?* Idem inſinuat Cyrillus Alexandrinus *e*, adjiciens, quod *cuſtodire* canitur *Dominus omnes diligentes ſe* f, & *animas Sanctorum ſuorum* g. Adde, *omnia oſſa eorum* h, & *parvulos* i, & *advenas* k: & ex eodem Cyrillo adjice parabolam de Samaritano *l*, de Chriſto ipſo intellectam. Exquiſitam procurant Principes corporis ſui cuſtodiam, fidiſſimoſque ac validiſſimos σωματοφύλακας. Nullum tutius, quam virtutum ſatellitium, liberque ab omni vero malo, ideſt, à peccato, animus, cum prudentia, propria, amicorum virtute, civium benevolentia, ut præcipit Nicocli Regi Iſocrates. Plinius *n* quoque fideliſſimam vocat cuſtodiam Principis, ipſius innocentiam, arcem inacceſſam, inexpugnabile munimentum; munimento non egere, fruſtra ſe terrore ſuccingere, qui ſeptus charitate non fuerit; benevolentiam ſubditorum facere imperium Principis, non metum. Denique ſecuritas ſecuritate mutua paciſcenda eſt, & ſalvum Regem in aperto clementia præſtat *o*. Antonius à Martiali corporis cuſtode *p*, Alexander à Caſſandro *q* peremtus eſt, ab aliis alii. Ageſiciis autem apothegma eſt, abſque ſtirpatoribus Principem, ſatellitibuſque vivere poſſe, ſi ſubditis ita imperaret ut filiis.

Dominus cuſtodit te ab omni malo.) Hieronym. & vetus Pſalter. Hilarius, Auguſt. *cuſtodiet*. Quod futurum extat Hebraicè cum affixo, ישמרך *iiſmarka*, & Græcè in Bibliis Complutenſibus, Regiis, & apud Euthymium: in emendatis, φυλάξαι, *cuſtodiat*: & in Apollinarii carmine, ἐρύκοι *prohibeat*, nempe παντοίης κακότητος ἀπανευθεν, *ab omnimoda malitia*, ſeu *malo procul*. Tempus præſens innuit continuam protectionem, curam, cuſtodiam Domini; & Chriſti, (Chaldæus *verbum Dei* ſolet nominare) quam habet de juſto, & de univerſa Eccleſia. Tempore quoque futuro continuatio eadem, ac perpetuatio importatur. Ceterum, *cuſtodiat ab omni malo* poteſt ſpectare ad corpus, ut ſenſit Arnobius, & ad mala pœnæ. Si vero conſideremus id, quod ſimpliciter eſt malum, pertinebit ad malum culpæ dumtaxat, & ea, quæ ad id inducunt, quemadmodum antea dixi: atque in hoc præſertim ſenſu oramus *non induci in tentationem, ſed liberari à malo* r.

Cuſtodiat animam tuam Dominus.) Nomen *Domini* extat quidem etiam in textu Græco, Arabico Æthiopico, Illyrico; ſed non in Hebræo, vel Chaldæo. *Animam* autem ſumi pro vita notùm eſt. Quamquam poſſit hìc quoque accipi pro *anima*, ut rationalis eſt: proque ſpiritualibus & bonis, ut cuſtodiantur in ea; & malis, ut ab eadem prohibeantur, præcipue peccatis, quæ vitam animæ ſpiritualem ac divinam extinguunt. Et ſi vero verbum Hebræum ſit futuri temporis, quemadmodum in priore membro, tamen Hieron. quoque vertit optativè; quia, ut notavit etiam Lyranus, Hebræi optativi loco, quo carent, utuntur futuro indicativi modi. Valet præterea variatio iſta, ut varios exprimat affectus, prius conſolationis, nunc deſiderii, ac deprecationis, ut quemadmodum Deus jam cuſtodit, ita & deinceps ſemperque cuſtodire velit.

Verſ. 8.) Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Senſus loci. TAndem concludit Pſalmiſta ſummam voti, & precationis ſuæ, ſive pro ſeipſo exultante, ſeipſum alloquens, ſive pro populo captivo, ut re ſeuntis, & aſcendentis in patriam ac templum, ſive dicatum cultui divino locum, Dominus in toto ſemper itinere cuſtodiat; quod conſiſtit in introeundo & exeundo. Nam qui progreditur, in unam intrat viam, & ea finita, exit: deinde rurſus intrat in aliam, poſtea exit, ſicque deinceps. Quod eodem pacto cernitur in una provincia poſt aliam, in una civitate & domo. Quæ parœmialis formula ſatis frequens divinæ Scripturæ *f*, per verba *ingrediendi*, & *egrediendi*, *exeundi*, & *intrandi*, aut vice verſa: item per nomina *ingreſſus*, & *introitus*; de qua egimus commentatio Actuum Apoſtolorum *ſ*, videri poteſt petita vel ab exercitus Duce, ad cujus nutum debent milites ingredi prælium, egredive; vel ab itineris confectione, quemadmodum dixi. Inde autem transfertur phraſis ad peritiam gerendi cujusvis negotii, ut id ſcite apteque tùm inchoetur ac promoveatur, tùm perficiatur: poſtremo ad totam vitam noſtram, jam inde ab ingreſſu noſtro in hunc mundum, uſque ad exitum mortis noſtræ, quam Græci vocant τὴν ἅπασαν τοῦ βίου ἀναστροφὴν, omnem vitæ converſationem, & ad omnem actionem tùm occultam & privatam, tùm manifeſtam & publicam, tùm ad nos pertinentem, tùm ad alios: ut omnia quæcumque fiant, proſperentur *u*: ut libere, ſine impedimento, ſemper, ubique quidlibet aggredi, agere, perſequi, perficere liceat. Quocirca ſenſu myſtico, & de ſpirituali loquendo benedictione, quam Theophylactus *x* notat ſucceſſiſſe temporali, per illos dicendi modos deſignatæ, petitur hac oratione, ut omnis vitæ atque actionum noſtrarum, quod attigerimus vitæ metam, curſus dirigatur in beneplacito divino, & mereamur bonis operibus abundare, ut proſpere, ſed ſecundùm Deum, omnes nobis res ſuccedant, ſive ad negotiationem exeamus, ſive intremus ad ſtudia legis, ut eſt in Chaldæo textu Nebienſis: ut omnes actio noſtra Deo duce incipiat, & per eum incæpta finiatur; nec tantum vocet Deus, & opituletur adjuvante gratia, ſed perſeverantiæ concedat munus, cujus ſunt *exitus mortis* y: ut, quod ait Auguſtinus, pluréſque, ſic intremus intentionem, ut ſine noxa exeamus: ſed cum exitu, ſive *proventu*, ut Paulus *z* loquitur: ut rectè introeamus ad pœnitentiam, & feliciter exeamus de corpore; idque ex hoc nunc, ideſt, ex eo primum die, quo converſi fuerimus: quæ Arnobii expoſitio eſt; ut, quod ait Albinus & Bruno, cuſtodiamur intrantes ad fidem, & exeuntes ex hac vita, in quo exitu magna pericula ſunt; perveniamus ad præmia, quem Gregorius *a* vocat ingreſſum ad fidem, egreſſum ad ſpeciem viſionis: ut neque intrans Eccleſiam erroribus ſupplantetur, neque ab hac temporali ad æternam exiens, ab antiquo hoſte rapiatur. Præterea explicat Valentia de Baptiſmo, per quem ingredimur in Eccleſiam: & de extrema Unctione, per quem hin egredimur. Caſſiodor. ut cuſtodiat Dominus Martyrum in tormenta introitum, ne horum violentia cedant, aut blandimentorum illectione ſeducantur: & exitum, ut irreprehenſibiliter perſeverent in confeſſione uſque ad finem, donec ad futuri ſæculi gaudia perveniãt. Hilarius, ut cuſtodiat exitum, dum de corpore exeuntes, ſecreti ab impiis, intra ſinum Abrahæ, interjecto chao, quieſcant pii: & introitum, dum in æternum illud & beatum regnum introducuntur ab eo, qui ſe *januam* vocavit ſive *oſtium* *: negavitque quemquam *venire ad Patrem, niſi per ipſum* b. Hugo jam dicta complectens & addens alia; declarat, ut cuſtodiat Dominus introitum in juſtitiam & exitum à peccato: introitum in vitam, exitum à vita: introitum in tentationem, exitum *ne tenteris ſupra id, quod potes* c: ſed ſuperes, & victoriæ premium conſequaris: introitum in Eccleſiam, ſive beneficium Eccleſiaſticum, ut propter Deum ſit, non quæſtus cauſſa, & exitum reſignationis ejuſdem, ut ex eodem Dei amore fiat, non ex cupiditate. Addi poteſt introitus in materialem Eccleſiam ad orationem, ſacrificium, cetera religionis opera: & exitus, ut hic non ſit, niſi omnibus ibi rite peractis. Antonius *d* explicat introitum de ſenſationibus exterioribus, quibus rerum ſimilitudines ingrediuntur ad animam: & exitum de interioribus affectionibus, quibus anima quaſi egreditur ad appetitum rerum: *de corde enim exeunt cogitationes* e, &c. Utitur Auguſtinus exemplo vaſis fictilis in fornacem injecti, ſed inde poſt ſolidam excoctionem educti. Alibi *f* autem applicat ad eum, qui in vituperationem malorum, vel aſſentationem adulatorum, & integer intrat & exit integer. Valet autem ſimilitudo ad quamlibet tentationem, atque tribulationem. Nyſſenus *g* tractans verba ſponſæ, *Anima mea egreſſa eſt ad ſermonem ejus*: quæ in translatione noſtra leguntur *h*, *Anima mea liquefacta eſt: ut dilectus meus loquutus eſt*, exclamat, ò felicem illam egreſſionem, quia egreditur anima ſermonem ſequuta. Tum præſentem Pſalmi locum explanans, ait egreſſionem, quæ à Deo cuſtoditur, eſſe ex eo, in quo ſumus: ingreſſionem ad bona ſupra nos poſita, ut ſemper proficiamur in melius, nec umquam ingrediendi, egrediendique faciamus finem. Talem docet Moyſem fuiſſe, atque ad idem propoſitum citat Chriſti verba *i*, *Per me, ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur & egredietur*. Quem quoque locum Gregorius Papa eo loco, quem antea protuli, affert, & quæ de illo dicuntur, huc transferri commode poſſunt. Ibi Auguſtinus * docet, ingreſſum bonum per oſtium bonum, quod eſt Chriſtus, eſſe; quando interius aliquid boni cogitamus; egreſſum, quando exterius operamur, ſive quando per Chriſtum, ſecundùm fidem cogitamus, & ſecundùm eamdem foris coram hominibus operamur, juxta illud *a*, *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam*. Congruit paraphraſis Chaldæa noſtri hujus loci, quam citavi; propterea quod Baſilius *b* egredi oves ad pias actiones, ingredi ad cognitionem & fidem ſcribit. Aquinas *c* interpretatur ingreſſum ad contemplationem divinitatis Chriſti; egreſſum ad humanitatis: quod prior dixerat Auctor libri de ſpiritu & anima *d*, Theophylactus *e* de ingreſſu per curam interioris hominis, & de egreſſu per mortificationem membrorum ſuper terram. Gregorius *f* de ingreſſu contemplationis & devotionis; de egreſſu bonorum. Hieronymus *g* de ingreſſu in Eccleſiam militantem per vivam fidem; & de egreſſu per mortem in triumphantem, & regnum cœleſte. Omnes hi pii & commodi ſenſus ſunt. In Hilario tantum caveri debet, quod videtur juſtorum animas nondum in regno beato collocare, ſed intra Abrahæ ſinum, diverſo quodam in loco; nempe donec adveniat judicii dies. Indicatum, ideſt, ab aliis, ut alias monui. Sed abſque ulla dubitatione credendum jam Deo frui, in cœlo animas plane liberas culpa, omnique debito pœnæ.

Dominus cuſtodiat.) Sic quoque Hieron. licet ut ישמר *iiſmor* futuri temporis, quo utuntur Hebræi, optativi vice. Emendati Græci codices habent etiam futurum, φυλάξει pro φυλάξαι. Enthymius videtur uſus futuro: Apollinarius optativo, ſed in alio verbo,

Ἄφθιτος εἰσελάοντα, καὶ ἐξελάοντα σε θάλποι.
Æternus ingredientem & egredientem te foveat.

Introitum tuum & exitum tuum.) Ordine oppoſito ſunt hæc in Hebræo textu. Citatis autem antea locis, in quibus eadem phraſis continetur, aliquando præcedit *exeundi & egrediendi* verbum *h*; vel nomen *exitus* & *egreſſus* i; nonnumquam *ingrediendi* verbum, & *intrandi* k. Ordo, qui ponitur hìc Græcè & Latinè, alibique etiam Hebraicè, ut dixi, videtur magis conſentaneus origini, quam parœmialis formula creditur habuiſſe, nimirum ab exercitus ductore, cujus imperio miles ingredi debet ad prælium, & egredi, ſeu regredi: præterea, initio vitæ, actionumque, & illius finis harum autem perfectioni harum autem perfectioni, necnon & aliis myſticis rationibus, quas prius attulimus. Alius tamen etiam ordo, quem hoc loco, & aliis eſſe notavi, favet alteri cauſſæ proverbii ejuſdem, ſcilicet ex egreſſu extra domum, qui præcedit introitum ac regreſſum in eamdem. Sed utervis ordo ſervetur, parvi refert, ſemperque idem ſignificatur. Obſervat Chryſoſtomus alium pro εἴσοδον tranſtuliſſe προσέλευσιν, *acceſſum*. De tota phraſi plura non adjiciam, cum alibi de ea dixiſſe monuerim. Affinis videtur ea, qua canit David, *cognitam à Deo ſeſſionem ſuam, & reſurrectionem ſuam* l.

Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.) Hieronym. *à modo, & uſque in æternum*. Hebraicè agnominatio quædam, vel potius alluſio elegans eſt, מעתה ועד עולם *mehhattah vehhad hholam*. Vim autem habet *ex hoc nunc*, ἀπὸ τοῦ νῦν, ut exprimitur pronomen Latinum demonſtrativum, & Græcus articulus, ad indicandum præſens tempus, quem vocant articulum temporis, & inſtant, ut ſtatim, & abſque ulla cunctatione incipiat optata illa peculiaris cuſtodia Dei & cura. Perpendit præterea Chryſtomus in ſequentibus verbis, nihil poſſe cum hac charitate conferri. Non uno, inquit, aut duobus, aut tribus, aut decem, aut viginti, aut centum diebus, ſed perpetuo. Tum ſubdit, longe diſſimiles hac in re homines eſſe, horumque amorem ὠκύμορον quemdam cenſeri; quoniam hodie amici, cras ſunt inimici: hodie ferunt opem, cras deſerunt, immo ſæpe oppugnant, ac inſidiantur, quovis hoſte gravius. At quæ Dei ſunt, manent immobilia, perpetua, immortalia, ſtabilia, ſine carentia. Hoc pollicitatio Chriſti continet, *fore ſe nobiſcum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi* m. Quod Joſue promiſſum eſt à Deo, *non dimittam, neque derelinquam te* n, Paulus ad omnem fidelem tranſtulit *o*, cui & confidenter dicere liceat *p*, *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*.

Marginalia, p. 376: a Joh. 8. 48. 49. — b hom. 18. in Evang. — c Pſ. 126. 1. — d cap. 21. 11. — e lib. 6. in Joan. 9. — f Pſ. 144. 20. — g Pſ. 96. 10. — h Pſ. 33. 21. — i Pſ. 114. 6. — k Pſ. 145. 9. — l Luc. 10. 33. — n in Paneg. — Innocentia fideliſſimæ Principis cuſtodia. — o Seneca 1. clementia. — p Herod. l. 4. — q Curt. l. 10. — r Mat. 6. 13. — Senſus loci. — f Deut. 28. 6. 19. c. 31. 2. Num. 27. 17. 1. Reg. 18. 16. lib. 2. 3. 25. 3. Reg. 3. 7. 2. Paralip. 1. 10. 1. Mach. 3. 45. Act. 1. 21. c. 9. 28. Joan. 10. 9. — ſ in c. 1. 21. — u Pſal. 1. 3. — Senſus myſticus. — x in Epiſt. ad Epheſ. cap. 1. — y Pſ. 67. 21. — z 1. Cor. 10. 13. — a homil. 14. in Ezech. — * Joan. 10. 9. — b cap. 14. 6. — c 1. Cor. 10. 13. — d 1. p. tom. 1. cap. 3. §. 7. — e Matt. 15. 19. — f in Pſ. 69. — g hom. 13. in Cantic. — h Cant. 5. 6. — i Joan. 10. 9.

Marginalia, p. 377: * Tract. 44. — a Pſal. 103. 23. — b de Spiritu S. cap. 8. — c in Epiſt. ad Epheſ. c. 3. lect. 5. & in Jo. c. 10. — d ca. 9. apud Auguſt. to. 3. — e in Joan. c. 10. — f in 1. Reg. c. 16. — g in Ezech. cap. 34. — Animæ culpa plane liberæ, in cœlo Deo fruuntur. — h Num. 27. 17. Deuter. 31. 2. — i 1. Reg. c. 25. lib. 3. 37. — k Deut. 28. 6. 10. 1. Reg. 18. 16. 2. Paralip. 10. 1. Mach 3. 45. Act. 1. 21. cap. 9. 28. — l Pſ. 138. 2. — m Mat. ult. 20. — n Joſue 1. 5. — o Hebr. 13. 5. — p Pſ. 117. 6.

PSALMUS

CENTESIMUS VIGESIMUS PRIMUS.

1\. Canticum graduum.

LÆtatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: In domum Domini ibimus.

2\. Stantes erant pedes noſtri, in atriis tuis Jeruſalem.

3\. Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum.

4\. Illuc enim aſcenderunt tribus; tribus Domini: teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.

5\. Quia illic ſederunt ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David.

6\. Rogate, quæ ad pacem ſunt Jeruſalem: & abundantia diligentibus te.

7\. Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

8\. Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.

9\. Propter domum Domini Dei noſtri, quæſivi bona tibi.

Titulus & Argumentum.

Canticum graduum.

Titulus ſuperius explicatus. EX Pſal. 119. titulo quid hujus titulus valeat, cognoſci debet. Eſt enim idem, ſicut & quindecim deinceps ſe conſequentium, incipiendo ab illo, ut ibidem dixi. In Hebræo textu additur לדוד *le david*: in Chaldæo על יד דוד *hhal, iad David*, ideſt, *canticum Davidis*, ſeu *ipſi David*, vel *per manum Davidis*. Utitur etiam Paraphraſtes præter morem Hebræa voce שירא *ſcira*.

Argumentum. Quod attinet ad argumentum, continentur in iſto Pſ. pium admodum ſtudium adeundi, viſendique templi Jeroſolymitani, ſive de aliis regionibus, ſive etiam de captivitate Babylonica, de qua graduum cantica omnia multi volunt eſſe. Nam licet Chaldæi templum diruiſſent, quando captivos adduxerunt Hebræos, tamen rectè intelligi poteſt redeuntes hos ab exilio, veterem cupiſſe conſuetudinem revocari; & quum revocandam ſperarent, celebraſſe iſtud canticum; quod, ſtante adhuc templo, ſolebant Hebræi decantare in itinere, quo ter in anno templum petebant; vel certe in uno ex templi gradibus Levitæ, juxta varias de hac re ſententias in 119. Pſalmo expoſitas. Inſeritur autem ſimul Urbis Jeroſolymitanæ laus ab ædificiis, hominum frequentia, Religione, Sacerdotalis, regiique ordinis tribunalibus. Ad extremum hortatur Propheta ex exilio redeuntes, aut quovis modo in Jeruſalem tendentes & tendere volentes, ut ei civitati bene precentur, quemadmodum ipſemet ob amorem civium ſuorum, quos amicorum, & fratrum habeat loco; ſed multo adhuc magis ob amorem Dei, qui peculiaris ipſius conditor, atque habitator habebatur, impulſus fuerit ad eamdem laudandam, & illa fauſta omnia deſideranda. Græcorum, & nonnullorum Latinorum ac Hebræorum ſententia eſt iſta: cui favet Athanaſius *q*, agi ſcribens in hoc Pſ. de illis, quæ libris Eſdræ continentur. Connumerat vero etiam inter Eucharíſticos, hoc eſt, qui gratias agunt. Ceterum David edere potuit de templo Pſalmum iſtum, quamvis eo vivente non exiſteret, quia id conſtruere volebat *r*, & conſtruendum à Salomone ſciebat, & divino ſpiritu præſciebat hujus ejuſdem Pſalmi uſum illum futurum, quem dixi, tùm apud quoslibet intrantes ad templum, tùm apud captivos redeuntes, ad eum quoque modum, qui dictus eſt. Quod autem quidam Davidem putant hìc gratulari, gratiaſque agere Deo, quod locum elegiſſet, ubi vellet

Marginalia: q ad Marcellinum. — r 2. Reg. 7. 2. & ſeq. 1. Paral. 17. 1. & ſeq.